BERNARDI SALVONI

MONACHI CISTERCIENSIS

DE FOEDERE

RELIGIONIS NATURALIS

CUM

RELIGIONE DIVINITUS

TRADITA

LIBRI QUATUOR

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA SALOMONI

SUPERIORUM PERMISSU

MDCCXCII.

Digitized by Google

Religio firmissimum Imperiorum fundamentum est, et arctissimus veluti nexus, quo populi obedientes suo Principi colligantur.

Ex actis in Conc. secr. a SS. D. N. PIO PP. VI. habito die XXVI. Septembr. MDCCXCII.

Mavult quilibet improbus execrari legem, quam emendare mentem. Mavult praecepta odisse quam vitia.

Salvian. contra Avarit.

P R A E F A T I O

Me saepenumero illud cogitantem, quidnam sibi propositum habere debeant illi, qui arduum sapientiae iter aggrediuntur, assidua gravium Auctorum lectio in hanc sententiam inducebat, ut illos omne tulisse punctum existimarem, qui tria quaedam summa capita ob oculos semper habenda, quemadmodum Phoenicii veteres semper cynosuram habuissent, ut ad optatam metam feliciter pervenirent, esse statuerunt. Quae quidem capita primum Dei, deinde sui ipsorum, postremo finis, summive boni notitiam complecterentur, ut Deum noverint, noverint se, finemque respiciant. Primum enim totius veri cum sit Deus causa, fons, et origo, ingenuus rerum investigator, cujus animum Dei notitia perfuderit, non ita facile aberraverit. Deinde cognitio sui, qua cum officiorum omnium humanorum ratio, tum vires cuique suae perspectae fiunt, ad verum videndum multum conferet; ut unusquisque se suo pede metiens extra provinciam suam non feratur, quae animi insolentia faecundissima esset, atque exitialis errorum, vitiorumque parens. Postremo ut qui alicunde alio perveniendi gratia proficiscuntur, ad terminum sibi propositum assiduo intendere debet, ita suarum quemque actionum finem spectare continuo convenit, ut normam, et modum agendi praesto habeat. Quo spectat nunquam satis laudatum illud veteris e Graeciaip saentisa: apophtegm Ει πᾶσι τὸ τέλος ὁρᾶσθαι: in omnibus finem respicito.

Et vero his tribus veluti cardinibus innixa humanae instituendae vitae ratio maximum illud commodum, quod est a Lactantio Firmiano animadversum, obtinebit, ut sapientiam simul cum Religione arctissimo foedere conjungat. Non enim, ut inquit ille, sine sapientia Religio, nec sine Religione probanda sapientia est: Religio enim et mentem coercet, ne rerum cognitione tumida vanitatis pennis hac illac delata, instar fabulosi Phaetontis, in praeceps ruat, et animum nostrum uni Conditori suo Deo cum exteriori, tum interiori cultu penitus addicit: Sapientia vero veluti habenas animo injiciens ipsum rite moderabitur, ne anilibus superstitionibus, et fabulis aurem suam accomodet.

Quae cum praestantissimi, ac sapientissimi Viri praeceperint, utinam mihi datum esset eorum praeceptis mordicus, et tenaciter insistere! Equidem vehementer in eo operam dedi; sed cum nec semper inceptis reliqua prospere succedant, nec scopum aliquem intendentibus semper liceat eumdem assequi: si minus voti fiam compos, utcumque res succedet, me juvabit tamen ita esse comparatum; cum scitum sit Graecorum adagium: ἡ καλὴ ἀρχὴ, τὸ ἥμισυ τῦ πάντος: Dimidium facti, qui bene coepit habet. *Equidem in deliciis semper hoc habui, ut cum Auditoribus meis philosophiae secreta rimari darem, eorumdem simul ad Religionem tum pernoscendam, tum adamandam, quoad ejus fieri poterat, animos fingerem. Cui enim ista philosophia placeat? Cui haec nostrorum dierum encyclopedia stomachum non moveat? quae omnes omnia arroganti supercilio docere*

affectans non sapientiam modo a Religione sejungit , sed de vera potissimum Religione pessime ubique mereri studet? Cui tandem cordato Viro arrideat iste scientiarum sive discendarum , sive tradendarum modus , qui parum, ne dicam nihil est sollicitus de mutuo illo nexu detegendo , quo res inter se omnes , in quibus scientiae versantur , ab ipsa rerum omnium parente Natura , hoc est a Deo vinciuntur ; in quo et idearum perspicuitas , et infinita quaedam sentitur animi jucunditas , et ingenium ita redditur subactum , ut rectum de quaque re ferre possit judicium? et quod caput est sensim sine sensu assuescit animus Adolescentum sapientissimum , optimumque rerum molitorem intueri , qui ut omnia quam ordinatissime fecerit , ita et a creaturis suis fieri optat? Praeclare enim est ab Aristolele XII. Metaphysices animadversum , quod quemadmodum pulcherrime erit constituta militum acies , si et hi singuli mutuo , et universim ad Ducem rectum ordinem servent ; ita et hoc Naturae spectaculum magnopere admirandum agnoscitur ex ordine , et habitudine , quam et sigillatim Mundi partes ad invicem , et demum universae simul habent ad Deum. Porro quandoquidem Religio , et ab humana cognoscitur adoraturque ratione , et divinis ipsis fundatur , ac stabilitur oraculis ; ob eam rem me non invito illa dicatur Religio Naturalis, *haec vero Religio appelletur* Revelata , *quae ceteroquin non nisi una esse invenitur , si strictim loqui velimus . Verum quia philosophiae ope , hoc est earum cognitione rerum , quae nostrae non superant mentis aciem, eousque pertingere nobis datum , ut Deum*

optimum maximum cultu cum externo, tum interno colendum esse firmissimis rationum momentis statuamus: nemo nobis succensere jure poterit, si dum philosophos agimus, ipsis philosophiae facibus optimo in lumine collocare curabimus eas omnes sententias, quae hujus Religionis sunt quasi bases, et fundamenta. Quamobrem posteaquam vulgaribus illis quidem, sed inconcussis argumentis principem hanc Religionis veritatem firmavero. vim esse divinam, *sublimiora illa, quae philosophia suppeditat, in medium proferam argumenta, quibus* ἀθεότητος *machina penitus dissolvatur, ut minutissimum, quod vehementer cuperem, redacta in pulverem humanis oculis non amplius possit usurpari.*

Qua in re stabilienda totius prioris libri operam locabo. Deinde Providentem *rebus conditis* Deum *facile ostendam. Philosophus enim, qui Deum esse evicerit, non admodum insudat, ut demonstret, Deum hunc talem curam gerere rerum, quas e nihilo eductas continenter conservat, ut bene pro meritis capiatur, et tangatur ira, ut Lucretii verbis contra Lucretium loquar. Quin imo et inde facilis sternitur via, qua ad eam ubique vigilem pertingat Dei providentiam vindicandam, quam tanto conatu, tantoque ingenii nisu e medio tollere gestiunt molles hujus aetatis Epicurei. Providentia enim illa Dei est perfectio ceteras inter omnes, quae indissolubili, ac individuo vinculo Divinitatis comites invisibilem Deum aliquo licet imperfecto modo humanis mentibus reserant, quam cuncta creationis opera etsi vario, concordi tamen ore praedicant: quam quidem mirabilem*

harmoniam a dissono mali sive physici, sive moralis sono auferri non posse, alter hujus opellae liber demonstrat. Quod si providus Deus necessario apparebit, profecto sinere ejus providentia non potuit, ut humana natura, omnium quotquot videmus, nobilissima creatura, ne ad horam quidem ea lege careret, quam vis, ac ratio ipsa hominis maxime expeteret: quam hoc ipso legem naturalem *dicere solemus. Et haec erit tertii libri materies; quem ita demum absolvam, si prius, quae sunt hujus legis objecta, potissima scilicet hominis adversus Deum, semet, et caeteros officia, paucis indicavero. Jam vero parum sapiens praedicaretur Legislator Deus, nisi et iis, qui fideles legis custodes extitissent, debitum spopondisset praemium, et iis contra, quibus libuisset datae fidei sanctitatem violare, supplicium non fuisset minitatus. Sua enim legi tum defuisset sanctio, sine qua haud scio, an tantae tumultuantium humanarum affectionum perduellionis objectu lex stare possit ulla.*

Quoniam vero Deus nec poenas semper malis infligere, nec bonis premia largiri in hac vita saepe consuevit, uti quotidiano docemur experimento; reliquum est, ut altera supersit, et verior vita, ubi justissimus Judex suum cuique tribuat debitum vel supplicium, vel premium. Atque haec, quae ex praecedenti sua veluti sponte manat doctrina, quarto libro manifesta fiet, atque explorata. Non abs re vero, ut opinor, hic foret illud inquirere, num corpora, quae jamdiu cinis, et pulvis jacuere, aliquam demum sint partem habitura in altera illa vita; num sint eamdem, quam Anima sor-

tem subitura; num sint in novam, quae mortem nesciat, vitam resurrectura. At quoniam haec rerum jucundissimarum inquisitio, atque pervestigatio, quippe in qua ratio hominis ipsa per se nequeat omnino exitum invenire, non esse hujus loci videtur; id unum; quod caeteroquin cum praecedentibus arcte cohaeret, suscipiam ostendendum, fieri sic plane posse corporum resurrectionem, ut ingenuum veritatis amatorem illam dedeceat inficiari. Neque toti finem operi ponam, nisi prius religionis utriusque et naturalis, et divinitus revelatae commune vinculum indigitarim, necessitate simul, et veritate supernae Revelationis demonstrata.

LIBER PRIMUS

DEUS EST ALIQUIS.

Etsi nihil manifestius dici, nihil verius unquam potuerit, quam esse Numen aliquod, per quod omnia constent: quod qui dubitat, haud sane intelligit Cicero, cur non idem sol sit, an nullus dubitare possit lib. 2. de Nat. Deor.: tamen ab iis coactus, qui esse ullum negantes, impietatis genus suscipiunt longe omnium deterrimum; simul ut pii homines communibus naturæ notionibus instructi *rationabile* divinæ, quam profitemur, fidei præstent *obsequium*, argumenta ea, quæ magis splendida, et idonea videbantur, quærenda existimabam, quæ Deum esse aliquem adstruerent. Quæ quidem hoc libentius et a nobis proferentur, et ab aliis, ut confidimus, excipientur, quod, cum singula per se, ac seorsim rem demonstrent, tum vero universa veluti agmine facto ἀποδεικτικώτατοι, ac planissime, et necessario fidem faciant. Et tamen sua non defuere Reipublicæ literariæ monstra, quæ id operis, atque laboris scriptis suis suscepisse videntur, ut densissimis, si fieri posset, tenebris splendidissimam veritatis lucem obtegerent. Qui meridiana in luce nos cum coecutire velint, essent multo magis coercendi (a), quam illi, in quos cum sola dubitatio de cultu Supremo Numini deferendo venisset in mentem, vel ipsi ethnicæ Religionis cultores gravioribus suppliciis animadvertendum esse censuerunt. Nam ut Socratem, ut Stilponem, ut alios præteream; Diagoræ libros, in quibus quærebatur, num Dii essent, publice crema-

(1) Aristoteles οἱ μὲν γὰρ ἀποροῦντες, πότερον δεῖ τοὺς θεοὺς τιμᾶν, ἢ οὔ, κολάσεως δέονται. Nam qui ambigunt, utrum Dii colendi sint . . . nec ne, punitione digni sunt. Ex lib. Topic. I. cap. xi.

tos fuisse, ipsumque exilio punitum memoriæ proditum accepimus.

Hæc fuere olim: at in nostra hæc potissimum tempora quadrare videtur Davidicum illud: „ Dixit „ insipiens in corde suo, non est Deus „ atque illud potius, quod sub scorpii caudarum emblemate S. Joannes in Apocalypsi non obscure indicat, nimirum nebulones illos caudis potissimum suis ferire homines, idest virulentis libellis hac illac ad decipiendum sparsis. His si consulere vellemus, quippe qui insania nullo, ut ajunt, helleboro curanda laborent, laterem lavare, atque dealbare æthiopem conaremur. Agant, ut volent, nos *non canimus surdis*. Qui enim peste illa hactenus non sunt infecti, stultitiam eorum vehementer, ut opinor, execrabuntur, dirisque devovebunt.

Quandoquidem qui mente, sensuque captus non est, ad manum habeat invictam rationem, qua et sibi, et aliis supremæ illius Naturæ, quam usitato cunctis vocabulo Deum nomino, *existentiam* persuadere possit, si libellus hic indicet vel simplicem eorum operum descriptionem, quæ terrarum iste, quem incolimus, orbis, Mundi haec minima pars aut parit, aut nutrit, aut certe exhibet intuenda. An erit, qui ne Opificem cogatur agnoscere operum, quæ etiamnum spirant, et vivunt, tam luculenta a rebus conditis respuat testimonia! aut si quis admiserit ea testimonia, id quod produnt, non agnoscet! Statuæ, et picturæ statuarium annuncient, et pictorem; vestes, naves, aut ædes textorem arguant, et navium fabrum, et architectum: terra vero quam pedibus calcamus, quam, si licet magna componere parvis, Musæum quoddam ingens appellem, in qua quot pisces, quot volucres, quot pecudes, quot vivimus homines, tot sunt pulcherrimæ statuæ, quas quodammodo figuratas a Praxitele, Phidia, nullo possumus laudis genere assequi: terra, inquam,

vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus, quarum vestium, sive nitorem, sive varietatem assequi non valuerit ille ipse pictorum omnium facile princeps Raphael Urbinas, hæc nostra terra mari circumflua, interrupta, ac rigata fluminibus, collibus, ac montibus quam commodissime ornata quasi emissa voce ipsa non per se clamet, se affabre factam ex manibus Opificis longe omnium sapientissimi immensa, ac minime explicabili virtute præditi prodiise? An vero picturae, et statuae, et reliqua sive liberalium, sive mechanicarum artium muta, et inanima opera nequeunt sine sapienti artifice haberi; gigni autem, et fieri sine artifice poterunt, quae sunt, quae vivunt, quae etiam sentiunt, et quae loquuntur Naturae opera?

Neque vero arbitror fuisse necessarium, quae sint hujus orbis omnes, et singulas commemorare naturas, ut summum Naturae totius fabrum esse intelligeres. Satis enim, superque fuisset, vel unam ante oculos tibi sistere, sive ex maximis tibi libuerit, sive ex minimis recensere, in qua tuae se exerceat mentis acumen, atque contemplatio. Tantum enim unaquaque in re, tam sollers, tam subtile singularum, quibus constant, partium artificium, tam admirabilem cujusvis operis fabricam, tam scitam texturam ipse detegeres; ut non dubitem, quin tu stupore correptus illico exclamaturus esses, *Prob Summe Deus rerum omnium Artifex Sapientissime!* ingenuae confessionis testimonio, quod invitis etiam e pectoribus vis ipsa veritatis solet exprimere. Tanta re quidem ipsa est cujusvis machinae Divinae perfectio, ut singulae partes officere, ut ita dixerim, contemplationi totius videantur. Ut enim in sylva non caedua singularum arborum proceritas eminere posset, nisi inter pares conspiceretur; sic in fabrica naturae quaevis pars esset eximia, si ipsa per se sola conspiceretur.

Porro cum ex media hac Mundi sede oculos ad Coelum convertimus actutum praeclarissimum illud sidus amplissima magnitudine, atque efficacia praeditum, sol, inquam, nos in ipso cursu, ne ulterius progrediamur, coercet. Ille enim tanta pulchritudine sua ita humanae mentis aciem semper affecit, ut veteres omnes, atque recentes in tantam sui admirationem rapuerit, ut in delirium pene Eudoxum compulerit, qui a sole se comburi velle dixerit, modo solem ipsum propius intueri, ejusque sibi speciem contemplari licuisset. Idem, quod caput est, vices temporum, annumque semper renascentem temperat, variisque illis temporum vicissitudinibus cum delectet, tum potissimum recreat, atque adjuvat humanam vitam, commerciumque coelestia inter, atque terrestria jucundissime, atque utiliter instituere videtur. Quod si aegre a tam specioso spectaculo tantisper divulsi, Lunam noctis, mensisque moderatricem, ac caeterorum sive errantium, sive fixorum siderum statas periodos, et coeli totius conversiones intuiti, ordinem, qui illic est, et insatiabilem speciem, atque pulchritudinem spectabimus; tum ex ipsa contemplatione subitus mentis ardor, tum dulciores cordis motus oriri sentientur, qui et existentem coelestium orbium conditorem, moderatoremque pereximium annuntient, et praestantissimam, ac praepotentem ipsius virtutem venerari instent, et urgeant. Quo si tu sensu aut non tangeris, aut vinci, impellique te non pateris, vel te non hominem, vel prorsus excordem esse fateberis.

Quid si terrestris hujus, et coelestium orbium contemplationi, etiam ratae, et constantis eorumdem administrationis cognitionem addideris; nonne mortales omnes ad agnoscendam infinitae illius mentis virtutem simul atque sapientiam abundantia quadam perspicuitatis coges? Ut enim si quis in alto

montis vertice sedens armatorum videat exercitum certo, pulchroque ordine in campum procedere : equites primum cum equis, et curribus; tum pedites pone sequentes ; prorsus illi veniet in mentem esse aliquem, qui et hunc aciei ordinem instruat, et milites sibi subiectos eum servare jubeat; sic qui et hanc terrestrem molem intuentur, et contrarias, quas continet, partes miro inter se artificio commixtas, et contemperatas, et ad perpetuitatem conservatas in tanto earum conflictu, ac vicissitudine; qui item illum ordinem, quem in tota coelesti regione regnare diximus, speculatur : is vel ingratiis unum, eumque supremum Auctorem cogetur agnoscere, qui et haec omnia primitus ediderit, et jam edita admiranda æconomia digerat, atque disponat. Quae si primoribus labiis degustata tantum fructum pariunt, quanta nos suavitate perfunderent, si penitius, si accuratius, si diligentius singula rimaremur? Omnino enim est praeclare dictum a Bacone Verulamio, naturae contemplationem, quo ipsa profundior sit, atque acutior, eo obsequentiores supremo rerum universitatis Artifici reddere hominum animos. Nihilo etiam minus sapienter, quam eloquenter Paulus Segneri (1) quem honoris gratia nomino, scripsit, quemadmodum nives, grandines, caeteraque meteora neque in infima, neque item in suprema, sed in media aeris regione gignuntur; sic et impii illi de Divinitate sensus non in rudibus, atque imperitis ex ima plebe; neque rursus in his, qui celso ingenio, et acumine naturae secreta rimantur; sed in semidoctis nonnullis temere solent erumpere.

. . . . Quis tam praeclara videndo
Non stupeat genus esse hominum, qui talia casu
Facta velint, et materiae sine more vaganti

(1) in praefat. opellae, cui titulus: *l' incredulo senza scusa*.

Accepta haec referat; quum non sine mente, sine arte
Tot portentorum reddi mera possit imago!
Scilicet Astronomos, et qui coelestia quondam
Lustrarunt oculis, et quos nova protulit aetas
Contemplatores aeterno nomine dignos
Censuimus, quod sint ausi signare figuram
Astrorum, et spatia, et moles, variosque meatus.
Et causam supremam ipsis quae tradidit astris
Materiem, formam, atque situm, normamque movendi,
Legitimo ingrati laudum fraudamus honore?
Est grave mentis opus charta describere caelum
Ac terras, duplicique globo diversa notare
Climata, sidereumque rotis effingere motum:
Et potuit sine mente Fabri consistere Mundus?
O pudor! o miserae vecors insania gentis!

Anti-lucret. l. 8. vers. 1171. ad finem.

Haec prima est ratio, qua homines etiam barbari aliquo sensu Divinitatis afficiuntur. His mutis magistris vel tardissima ingenia cognitione Dei imbuuntur. Atque hac factum ratione putaverim (nam illud praeteream, num qua alia ratione omnem hominum mentem Dei cognitio imbuerit; fuerit ne veluti per manus tradita, an ab ipso ortu sine opera nostra nobis insita, quod nonnullis salivam movere scio) hac, inquam, ratione factum putaverim, ut in tanta terrarum, temporum, locorumve distractione, et varietate nulla unquam inventa sit natio, quantumvis efferа, et barbara, quae non, etiamsi ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat. Ut enim nullus telluris angulus est, ubi plura illius artificis, atque insignia opera non sint cuivis praesto, atque ad manum, in quibus et imago potentiae, et subscriptio sapientiae ipsius expressa nitidissime appareat; ita nec est, nec fuit, nec futurus est quisquam omnium tam immanis, et ferus, cui veritatis hujus radios in se ultro incurrentes, si modo dedita opera non occluserit ocu-

los, cernere non sit datum. Quod „ nisi cognitum, „ comprehensumque animis haberemus, non tam sta- „ bilis, uti egregie observat Tullius, opinio perma- „ neret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec „ una cum saeculis aetatibusque inveterare potuisset,„. Jam enim pluries commonstravit experientia rerum magistra, ac parens, caeteras opiniones fictas, atque vanas diuturnitate extabuisse. Hinc illa aurea ejusdem Tullii sententia, *opinionum commenta delet dies; naturae judicia confirmat*. Quare Deum esse quempiam, quandoquidem hoc ipsum et cuncta naturae opera pro suo quaeque modulo praedicant, et ubique terrarum homines assiduo confitentur, naturae vox ea est habenda. Quin etiam, si caetera omnia deficerent, una suimetipsius contemplatio, exacta illa quidem, et diligens idoneam homini manuductionem ad cognitionem Dei praeberet. Sola certe corporis structurae cognitione, dispositu nempe, ac situ, et proportione partium, et earum elegantia, atque opportunitatibus singularum non alium, quam Deum immensa, et inexplicabili sapientia, et potestate praeditum hujus machinae auctorem esse professus est ethnicus homo Galenus. Quid si praeterea animum cogites tuum? quo uno Te et corpori praeesse, et providere, et totam ferme ὑλικὴν naturam in tui commodum trahere, ac veluti dominari intelligis? Quid si tandem animadverteris mirum prorsus illud animae, et corporis foedus, atque commercium, quo conjunguntur substantiae tota natura diversae ad singulos efformandos homines tali, ac tanta inter se mutua necessitudine, ut sicuti corporis motibus ideae, adeoque sensationes respondent in anima; ita continuo volitionibus animae liberi corporis motus, tamquam servi altius succincti obtemperent? An haec temere fieri, et sine sapientia potuerunt, quae nec intelligi sine magna sapientia possunt? Oporteret igitur plane eum desipere, et hominis exuisse naturam,

neque aliud, quam horrendum monstrum dicendus esset, qui toto plaudente mundo, totaque confitente natura sensa animi aleret tanto, tamque mirifico, ac inusitato consensui contraria, atque discordia (1). Ista quidem sunt vulgaria documenta, et quae se quasi invitis ingerunt. At philosophi ad Dei cognitionem subtilius, atque uberius processerunt. Texunt enim vincula demonstrationum, quibus ingenia sic constringunt, ut ab eis, quod volunt, extorqueant. Quorum nos vestigia prementes id omnino curabimus, ut et fixa sint, quae dixerimus, et ut Lector non modo possit nostram orationem intelligere, sed ut non possit eam, etiamsi velit, non intelligere. Quod quidem, ut spero, obtinebimus, si illud imprimis constituemus, quid sit hoc, quod quaerimus. Id unum, scilicet, num sit coeli, terraeque, et rerum, quae tanto ambitu continentur, universarum molitor quispiam, et opifex Deus. Videsis vero, uti a morosis quibusdam Encyclopedicis, sive potius cyclopicis, uno oculo praeditis censoribus alio divertendi, tamque perspicuas varietates insectandi quaeratur occasio: quasi de essentia divina, de qua in

(1) Tractant argumenta hujusmodi plurimi, ac praestantiſſimi tum Graeci, tum Latini Scriptores, et Christiani, et Gentiles: Mihi tamen lubet amandare Lectores φιλομαθεῖς, καὶ ζητητικοὺς ex veteribus quidem, et exteris ad libros Platonis de Legibus X., et in Timaeo: ad Epictetum apud Arrianum: ad librum II. de Natura Deorum. Ex nostris, hoc est Christianis ad Athanasium in libro contra Gentes; ad Gregorium Nazianzenum Orat. 34., et Basilium Tom. 1. pag. 352. rursus ex recentioribus, ut silentio praeteream sapientissimos Religionis nostrae Α'πολογίστας, digni sunt, qui legantur Aloysius Brenna e Societ. Jesu de humani generis consensu etc. Nieuwentyt l'existence de Dieu demontrée par les merveilles de la Nature. La Theologie des Insectes de Monsieur Lêſſer. La Theologie physique, et astronomique par Guillaume Derham. L'extraite des Écrits publiés pour la fondation de Monsieur Boyle par les plus habiles Gens d'Angleterre de Monsieur Gilbert Burnet.

praesenti nihil contendo, haec quaestio nostra agere-tur. Quod semel animadvertisse sufficiat.

Itaque ut ab evidentibus exordiamur, quaero la-teatne quempiam, qui quidpiam tactu intimo sentit, se jucunde interdum affici, interdum vero moleste, se cogitare, se meditari, se velle, aliasque experiri saepenumero internas affectiones? Hae vero possunt ne inesse nulli rei? possunt gigni a nulla re, tam-quam ab efficienti, et anteriori causa? Nemo ita in-saniat: ergo sint, et fiant abs re aliqua necesse est. Hanc ego rem, quid potius, quam *animum* appella-verim? Est ergo mihi animus, qui sibi sit suarum affectionum conscius. Atqui ego (hoc ipsum de se quisque experiatur) hujusmodi affectiones diversi in-ter se generis esse ex eo certissime conjicio, quod alias mei, ut ita dicam, juris experior, alias contra, me etiam invito, ac nolente, in memetipso nescio quo pacto produci sentio. Quid tum vero? nempe si mihi est animus, quia animo cogito; est etiam in me aliquid aliud praeter animum, cujus motu, et impulsu id etiam cogor cogitare, seu percipere, quod animus nollet meus. Hoc item aliud, a quo sensus animi excitantur, quidquid illud sit, *corpus* appel-labo; ne si vocabula recepta mutare coner, insa-niam. Sensu igitur intimo constat et esse animum, et aliud praeter animum corpus. Quod autem intimo sensu dijudicatur id reipsa esse, vacat controversia; quod si quis in controversiam vocet, is sensu vacare dicendus est (1). Quorsum vero ista? ut equidem

(1) Ex hac, quam intimo sensu colligimus, corporum exi-stentium veritate fieri aliqua po-test spiritualis animae ostensio, quam hic equidem ponam in aperto, ne intactum omnino, et sine probatione relinquam, quod caeteros inter veluti pri-marius est cardo; quo nempe sublato totam necesse est ruere Religionem. Itaque reliquis mis-sis rationibus, quibus spiritua-lem, omnique concretione mor-tali liberam, rationisque parti-cipem naturam humanis animis invictiſſime vindicant Metaphy-

extra omnem quoque controverſiam ponam, eſſe Deum. Etenim ubi oſtendero, quae duae res ſint,

aici, ita fere illius veritas poterit deduci. Principium istud, cujus motu, et impulſu animae primitae excitantur sensus, corporum, inquam, impreſſiones non eam habere poſſunt efficientiam, atque ἐνέργειαν, qua fiat sensu praeditum, quod parens natura sensu minime donaverat. Impreſſiones enim ejusmodi nihil sunt aliud, nihilque aliud profecto efficiunt, quam in extremos corporis nervos, atque fibras motum quemdam inducere, quo distantiarum tandem rationes poſſunt immutari. At nemo non tacru intimo experitur, aliud doloris sensus, colorum, odorum eſſe, et omnino aliud motum, quo distantiae immutantur. Sensus igitur in homines nequeunt corporum impreſſionibus induci; ideoque ab alio oriuntur principio, quod hominis *animum* voco: licet ea modo lege oriantur, ut corporum impreſſiones ad cerebrum usque, atque adeo ad commune sensorium antea deferri, et ipsi animo, sive animae coram sistere debeant, quam percipi ab illa poſſint; *quae* quidem *anima*, ut habet Cic. Acad. 4. c. 10. *sensuum fons est, atque etiam ipsa sensus est*. „ Nos „ enim non oculis cernimus ea, „ quae videmus (idem Tuscul. „ 1. c. 20.) Neque enim est ul„ lus sensus in corpore, sed viae „ quasi quaedam sunt ad ocu„ los, ad aures, ad nares a se„ de animi perforatae. Itaque „ saepe aut cogitatione, aut ali„ qua vi morbi impediti, aper„ tis, atque integris et oculis, „ et auribus nec videmus, nec „ audimus; ut facile intelligi „ poſſit, animum et videre, et „ audire, non eas partes, quae „ quasi feneſtrae ſunt animi. Et D. August. de Gen. ad lit. 2. c. 24. n. 51. „ neque corpus, *inquit* „ sentit, sed anima per corpus, „ quo velut nuntio utitur ad for„ mandum in se ipsa, quod ex„ trinsecus nuntiatur. „

La sostanza midollare del cervello, o la callosa, o la pia, o la dura madre, o qualunque altro siasi, secondo i materialisti, l' organo, che toccato, e scosso per la impreſſione del movimento continuato dal senso esterno fino ad eſſo, produce la sensazione, ed il pensiero; quella qualunque sostanza del cervello non è altro (ita ratiocinatur Vir de Religione, et philosophia optime meritus, morum etiam sanctitate quam purpura longe Eminentiſſimus Gerdilius) che un compleſſo di vasi deferenti un umore separato dal sangue, di fibre, di membrane, di tuniche, di glandole ecc. siccome ancora l' organo esterno del senso, l'occhio per esempio, è un compleſso di vasi, di umori, di membrane, di fibre, le quali final-

corpora, et animum, ea non per se, sed per aliud esse; hoc est non ipsa sibi propriam dedisse existen-

mente vanno a spargersi col nervo ottico nella maſſa del cervello, onde derivarono: talchè quantunque la struttura, e disposizione delle parti dell' uno sia molto diversa dalla struttura, e disposizione delle parti dell'altro compleſſo; la materia però, e la sostanza di queste parti non tralascia di essere omogenea nell' uno, e nell' altro complesso, voglio dire, che non sono di genere del tutto diverso; poichè lo steſſo nervo ottico, per mezzo di cui si fà la comunicazione del senso esterno all' interno, non è altro, che una diramazione della sostanza del cervello, che si spande nell' occhio. Ora consideriamo un poco, quanto la esperienza insegna, che accade nella visione.

Partono da ogni punto dell'oggetto raggi di luce divergenti, entrano per la pupilla, si rifrangono penetrando per li tre umori, e vanno dipingere sopra la membrana sottoposta l' immagine dell' oggetto, onde partirono: questa membrana percoſſa da' raggi communica il suo commovimento sia per mezzo delle fibre, onde è teſsuta, sia per mezzo dell' umore, che contiene, lungo il nervo ottico, e questo commovimento portato alla sorgente de' nervi, è seguitato dalla visione dell' oggetto, che rimane al di fuori. Non istarò qui ad avvertire una cosa notissima, che la visione non si fa per mezzo della immagine, che i raggi dipingono sulla membrana, che tapezza il fondo dell'occhio; poichè quantunque si faccia egregiamente questa pittura in un occhio saniſſimo, basta, che il nervo ottico sia ostrutto, perchè resti la visione impedita del tutto. Ciò supposto, dirò così: se la dilicata struttura dell' organo, se la sottigliezza delle particelle, se una squisita dose di movimento può alcun poco contribuire ad organizzare una sensazione, ed un pensiero; gran meraviglia per certo, che nel penetrare, che fanno i sottiliſſimi raggi della luce per un organo così squisitamente lavorato, e d' una struttura sì mirabile, qual è l' occhio, e nel commovere, e fare tutta vibrare quella struttura, delineando una belliſſima immagine dell' oggetto: pure in tutto ciò non si desti un minimo vestigio di sensazione, e di pensiero, e si verifichi esattamente il detto di Obbesio, *motus nihil generat praeter motum*. I raggi muovono l' occhio e l' occhio è mosso; ecco il tutto. L' ultima membrana dell' occhio nel commoversi, commove il nervo ottico: e questa non è neppure una sensazione, nè un pensiero: egli è un commovimento; ne può questo commovimen-

tiam, sed ab alio mutuatam tenere: ubi etiam his vestigiis insistens ad extremum aliquid pervenero,

to eſſer altro, se non ciò, che egli è, cioè un commovimento, e non altro. Comunica il nervo ottico questo suo commovimento ad una sostanza omogenea entro il cervello, dal quale eſſo deriva; nè altro le comunica, poichè non può comunicarle, se non ciò, che eſſo ha ricevuto, ed egli non ha ricevuto, se non una pura impreſſione di moto, in cui non vi era ancora il menomo vestigio di sensazione, e di pensiero. E quì si vorrà, che cotesto commovimento ricevuto in una sostanza omogenea al nervo ottico, non sia un commovimento, ma un effetto eterogeneo, una sensazione, un pensiero, una idea, l' intelligenza? Se si vuole che un commovimento sia un pensiero, sarà dunque vero, che una cosa è ciò, che ella non è, poichè altra cosa è un commovimento, altra cosa un pensiero. E poi se il commovimento nella struttura dell' occhio, e del nervo ottico non può produrre, fuor solo effetti puramente omogenei ad un compleſſo di parti messe in moto, cioè vibrazione, tremore, ſcoſſa, cangiamento di figura, e di sito, egli è chiaro, che il commovimento in una parte omogenea, e solo differente per la struttura, non dovrà produrre se non che effetti, le cui differenze non siano di altro genere, ma soltanto corrispondenti alla diversità della struttura, voglio dire diverso cangiamento di figura, e di sito, ma sempre cangiamento, e puro cangiamento di figura, e di sito. Dunque l' omogeneità degli organi de' sensi, e del compleſſo, che forma la sostanza del cervello, e l' impoſſibilità provata sia per la ragione, o sia per l' esperienza, che un qualunque moto nella struttura dell' organo esterno produca mai una sensazione, ed un pensiero, prova la steſſa impoſſibilità di una qualunque parte della sostanza del cervello, e per conseguenza, che l' intelligenza, ed il pensiero non ha organo corporeo, da cui sia prodotto, come da propria cagione, ed in cui sia inerente, qual modo, e determinazione del medesimo. E certamente se vi hanno due cagioni omogenee A, e B, e se vi hanno due effetti del tutto eterogenei C, e D, egli è chiaro, che se A non può mai produrre, che C, e non mai D, neppure B potrà mai produrre D, ma solo potrà produrre un effetto, il quale avrà lo steſſo rapporto a C, che B ad A, onde eſſendo B omogeneo ad A, e soltanto differente in alcune determinazioni, così sarà E rispetto a C.

Per togliere dall' argomento apportato sopra ogni ambiguità, dico omogenee, o d'un medesimo genere due cose A, e B quando per una semplice mutazione, l' una può paſſare nel genere dell'

quod sit per se; continuo extra dubitationis aleam positam Dei existentiam demonstravero. Jam vero neque animus hic meus, neque caeterorum, qui nunc sunt, hominum animi, quos itidem esse ἀναλογίας ratio fateri cogit, neque ea, quae nos circumstant corpora ita sunt ut a se ipsis esse ulla ratione potuerint.

Quod enim a seipso est, id omnibus omnino perfectionibus redundare oportet. Id quod sponte sua sapientissimi quique mihi assentiantur, et hic liber meus in eo potissimum velut suo in cardine totus obvertetur. Quid tum vero? Omnes imperfectiones, omnes defectus, omnia vitia ab hoc eodem *ente a se* procul abesse necesse est; maxime vero mutationem, quae omnium caeterarum fons, et scatebra jure merito reputatur. Nam quod mutatur, aut perfectionem aliquam deperdit, quam prius habebat, aut novam adipiscitur, qua antea carebat. Hoc totum primùm manifesto cernitur in animis nostris; deinde in iis, quae nos circumstant, corporibus. Non est cur in re manifesta morer. Non suus cui-

altra. Così la sostanza degl' organi esterni, e quella degl' interni nutricandosi, e costando per conseguenza delle parti d' un medesimo alimento, dico, che la sostanza de' primi è omogenea a quella degl' altri: perchè le parti di cui costano, erano ugualmente capaci di ricevere la mutazione richiesta per formare la sostanza di questi. Per lo contrario dico, che un pensiero, ed un movimento sono eterogenei, perchè qualunque mutazione facciasi in un movimento sia nella velocità, sia nella direzione, non perciò si accosta di più l' idea del movimento all' idea del pensiero. *Dissertazione dell'esistenza di Dio* §. 1. n. 10. Pneumatica sive spiritualia organa sonum edere audio tactis, et motis regulis; at si inde concluderem regularum ejusmodi motum eſſe veram, et efficientem soni illius causam, risum tenere non poſſes; ac folle deinde remiſſo, qui fit, Vir philosophe, diceres, ut causa isthaec, quae sua illa ἐνέργειᾳ sonum effecerat, suo jam effectu frustretur? Eo sane pacto iste regularum motus efficit sonum, quo pacto follis agitatio efficit flammam; nec diſſimili omnino ratione motus in organis sensoriis corporum impulsu excitatus potest efficere animae sensationes.

que sibi testis est animus, perpetuis nos homines obnoxios esse mutationibus? ac mitto jam omnia susque, deque ferri assiduo: de vitiis animorum loquor, quos ita alta demersos ignorantia in hanc lucem prodire scimus, ut nihil antiquius habuerint philosophi, quam ut *Tabulæ nudæ* eos compararent. Tam adeo brevis est humanae mentis capacitas, ut non modo finitam, sed si cum rerum numero comparetur, eam habere dixerim proportionem, quam unitas ad numerum infinitum. Parvae capacitati accedit quaedam intelligendi, et perspiciendi debilitas, quae tanta est interdum, ut vix trium idearum concatenatio teneatur. Ac denique, ne videar Iliadem texere vitiorum, quae quasi perpetuos ignorantiae comites nobiscum circumferimus, ea est memoriae imbecillitas, ut illae ipsae memoriae, quae mirae multis videntur, ad res collatae, angustissimae esse reperiantur. Deinde corporum etiam magis, quam animorum finita, et fluxa substantia est (1) quam ne substantiae quidem nomen mereri ajebat Heraclitus, et qui ex antiqua Heracliti disciplina istud acceperat, Plato; quod nomen iis tantum rebus convenire putarent, quae eodem semper modo, firmae, et constantes nullo prorsus fluxu vertuntur, quemadmodum rerum essentias docent esse nobiliores Methaphysici, et ideas suas excogitavit Atticus ille Moses: sic enim Platonem appellat Numenius Pithagoraeus apud *Clem. Alexand. lib.* 1. *Strom.*

(1) Seneca epist. 68. Quaecumque videmus, ac tangimus, Plato in illis non numerat, quae eſſe proprie putat. Fluunt enim et in aſſidua diminutione, atque adjectione sunt. Nemo nostrum idem est in senectute, qui fuit juvenis: nemo est mane, qui fuit pridie. Corpora nostra rapiuntur fluminum more, quidquid vides, currit cum tempore, nihil ex iis, quae videmus, manet. Ego ipse, dum loquor mutari ista, mutatus sum. Hoc est, quod ait Heraclitus, in idem flumen bis non descendimus. Manet idem fluminis nomen, aqua transmiſſa est.

Quare si adspectabilis hic Mundus nil aliud esse intelligatur, quam grandis quaedam animorum una, et corporum ordinata collectio, quam idcirco rerum universitatem passim vocant Latini; palam est, totum ipsum a partibus, quae illud constituunt, ne latum quidem unguem posse differre. Quare si partes Mundi universae fluxam, labilemque, ac limitibus quibusdam circumscriptam existentiam, atque ob id ipsum et minime necessariam, et ab alio pendentem obtinent: totus item Mundus precarie existere dicendus erit. Utrum igitur a nulla re, tanquam a vera causa factus statuetur, quod ineptum, et absurdum est; an ab alio productus dicetur, qui non precarie, sed per se ipsum constet, atque necessitate suae naturae, adeoque ex omni aeternitate existat, id quod est omnino consequens? Esse igitur Deum nihilo minus perspicuum est, quam et mihi esse animum, et esse praeter animum corpora, et ab his animi sensus expergefieri.

Primo huic argumento, quo divinae existentiae veritas veluti firmissima arce propugnatur, in quam singulae prorsus universitatis res tamquam milites gregarii ad eam tutandam certatim confluunt, addere libet alia argumenta, quae cum et subtiliora sint, et magis vulgarem hominum captum excedant ea ϛρατηγήμασι quorundam eximiorum Tribunorum non abs re comparaveris. Ita enim res sese habet, ut quo intimius ab emunctae naris viris investigantur, et penitius cognoscuntur istae hujus universitatis substantiae, eo etiam firmius, atque apertius, et suam produnt mancam, et temporariam naturam, atque ἐσίαν, sive ut sapiens Auctor de Divinis nominibus loquitur ὀντότητα, et aeternam Dei pandunt existentiam, omnibusque, ut ajunt numeris absolutam. Nam sive, qua ratione sese ista excipiant, consideras, sive quo pacto in se invicem agant perpendas; sive tandem, quibus scateant viribus, atque ποιότησι

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

(qualitatibus) animadvertas; liquido apparet, cuncta tum molitore eguisse, ut essent; tum praeside indigere, ut ne in antiquum illud *Nihil* abeant, et relabantur. Nam primum continuae illae propagationes, et generationes animantium, ac stirpium, rerumque caeterarum, sine quibus mundana haec moles consistere non potest, digito quasi demonstrant, si non tempus, quo fieri caeperunt, quod conjecturas eludit philosophorum; certe vim illam plane divinam, a qua veluti a fonte profluxerunt. Gignendi siquidem naturalis est ista conditio, ut non statim atque editum est animal (ut aliquam rerum speciem exempli loco sumam) in lucem, generet aliud, sed paullatim confirmet se, ac vires acquirat: *videmus* enim, ait Cyrillus Alexandrinus (1), tum solum, *cum ad certam aetatis mensuram pervenerint efficacem obtinere gignendi facultatem: uti homo, bestia, planta: haec enim cum pusilla sunt, gignere nequeunt; adulta vero, et corroborata id faciunt.* Quo circa cum omne animantium genus simili semper lege procrearunt, non repente atque orta sunt, sed interjecto aliquo tempore, quo et vires ad gignendum collegerunt, et in matrum uteris suscepta proles coaluit, maturaque est ad enixum reddita; in ipsa gignentium serie ne unum quidem esse, nec animo concipi potest animal (quippe quae uti ejusdem sive generis, sive speciei, ita iisdem praedita concipiuntur viribus, atque efficacia), quod tantum sibi suffecerit, ut non aeque necesse habuerit, ut ex alio anteriori in tempore gigneretur. Atque his ita constitutis, duo haec necessario sequuntur, et generationum series aliquando caepisse, et extra gignen-

(1) Cyr. S. Thes. 42. Ὁρῶμεν . . . . καὶ ὅταν εἰς μέτρον ἡλικίας ἔλθῃ φανερόν, τότε καὶ ἐνεργὸν ἔχει τὸ τίκτειν. οἷον ἄνθρωπος, ζῶον ἄλογον, καὶ φυτόν. ταῦτα γὰρ μικρὰ ὄντα τίκτειν οὐ δύναται, τελειούμενα δὲ καὶ τοῦτο ποιεῖ.

tium classem esse quempiam, a quo sicuti suam substantiam, ita vim ea, quae gignunt, acceperint. Nam si in tota illa gignentium serie, quo demum cumque modo hujusmodi propagationes accipiantur, etiamsi fieri eas fingas per quaedam corpuscula semet moventia, quae celebris quidam historiae naturalis Scriptor vocat organicas moleculas vivas (*molecules organiques vivantes*); ne unum quidem sit animal, quod statim, non interjecto aliquo tempore, genuerit, ne unum quidem pariter erit quod semper, sive ex aeterno tempore genuerit, atque ideo initium fuit aliquod in tempore gignendi. Quidquid autem ex tempore esse caepit, quamdiu nihil fuit, omnino nihil habuit, nihilque omnino potuit; Nec sibi ergo, nec alteri dedit, ut esset, vel aliquid posset; alioquin dedisset, quod non habuit, et fecisset, quod non potuit. Rerum igitur generationes attente contemplanti apparet, extra gignentium classem esse illud principium, unde eae existere potuerunt, quae non a se ipsis, sed ab alio habent, ut sint.

Finge animo catenam ignotae longitudinis (1) e coelis ad nos descendere, invisibilique fulcro affi-

(1) Nemo, opinor, mihi invidebit, si ad veri, fortisque יְהוָה Jehova existentiam ostendendam, eam similitudinem ex parte usurpo, quam Homerus ad fabulosi Jovis sui robur, et fortitudinem declarandam adhibuit Iliados lib. 8. v. 28. hisce carminibus:

Ἀλλ᾽ οὐκ ἂν ἐρύσαιτ᾽ ἐξ οὐρανόθεν πεδίονδε
Ζῆν᾽ ὕπατον
Ἀλλ᾽ ὅτε δὴ καὶ ἐγὼ πρόφρων ἐθέλοιμι ἐρύσσαι,
Αὐτῇ κεν γαίῃ ἐρύσαιμ᾽ αὐτῇτε θαλάσσῃ.

quorum carminum unam hic lubet subnectere Alexii Symmachi Mazzochii Viri doctiſſimi, atque piiſſimi interpretationem Spicilegii Bibl. proleg. sect. 1.

Nunquam traxeritis de coeli vertice deorsum
Me induperatorem . . . .

xam, cujus annuli terram versus gravitent. Quid hanc catenam fulciat quaerenti, si tibi reponerem, annulum nobis proximiorem a vicino sustineri, atque ita in infinitum: nonne jure, quid totam catenam sustineat, denuo postulaveris? Cumque decem, verbi gratia, annulorum catena, nisi vis sustinens vetet, necessario ruat, et si viginti fuerit annulorum, majori vi, ut sustineatur, indigeat, eo majorem semper vim sustinentem merito reposces, quo magis annulorum numerum augeri, atque catenae pondus crescere statuo, unde jure merito conficies, catenam illam infinitis productam annulis, nisi a vi infinita sustineatur, esse casuram. Jam idem decernere opus est de catena ista mundialium causarum, atque effectuum; qui quidem in aliquem demum finem colliment, in eumdemque quodammodo gravitent est opus. Postremus horum effectuum a causa sibi proxima, quae ejus veluti fulcrum est, dependet. Causa haec, si non est prima, ab alia sustentetur oportet. Quod si haec catena causarum, et effectuum ponatur infinita, nisi existat causa, a qua regatur, effectus habebitur absque ulla efficiente causa infinitus. Quod is tantum asserere potest, qui decernat, pondus finitum, seu parvum, ne ruat, indigere, ut sustineatur; nullius tamen vis sustentantis egere pondus infinitum. Haec cum de catena pro simili tibi fingis, scyllam tibi aeque, ac charybdim vitanda esse memineris, si veritati unice litandum reris; nam in errorum scopulos non minus impinget is, qui catenam illam, quam ordinata singulorum annulorum serie

At mihi si quando fuerit traxiſſe voluntas,
Cum terraque traham vos sursum atque aequore vasto.
atque item alteram elegantiſſimi Viri Raymundi Cunichii:
. . . . Non ulla fuat vis tanta, laborque
Coelesti qui sede Jovem deducere poſſit:
Ast ego vos, terramque, et magni caerula ponti
Stagna traham.

infinitum versus progredi concipiebas, ex finita posse actu infinitam evadere statuit; quod esse impossibile demonstrant sapientissimi, atque haud scio an omnium præstantissimi Viri Mauclaurin, atque Gerdilius, nihilo, inquam, minus erraverit, quam si quis alius catenae metaphoram adeo urgeret, ut vel vellet, nos non modo posse per catenae annulos, tamquam per scalae cujusdam gradus a perfectiore quavis natura ad minus perfectam continenter descendere, vel etiam e contrario ab imperfectissimo quovis ente ad magis perfectum cognitione ascendere, in quo et rectum posset consistere, et varii perfectionum gradus possent in ordine hoc rerum facilius, atque clarius deprehendi, et exponi; sed etiam illud doceret, quod nuperis hisce diebus factum a nonnullis comperi, ex metallorum regno ad regnum vegetabilium, ex hoc vero ad regnum animalium, et ex animantibus ad hominum genus ita gradatim posse perveniri, ut vix, aut nulla interposita intelligatur ascensus mora ab illa naturarum differentia, qua inter omnes constat, hominem a bellua, pecudes a plantis, plantae ab indigesti, et bruta lapidum, ac fossilium mole tantopere distare.

Deinde ille ipse varius agendi, suasque facultates explicandi modus, quem alium alia hujus orbis entia tenere perpetua, et constans docet experientia, sicuti absolutam aliarum ab aliis naturarum indicat diversitatem, ita primi cujusdam motoris arguit existendi necessitatem. Quis enim in dubium vocet, duplicis generis esse agendi modum, quo novimus suas vires exercere posse corpora, et spiritus, motum videlicet, et cogitationem? Nihil siquidem agunt corpora, quae tandem cumque illa sint, et quocumque modo operentur, quod ad situs, aut figurae mutationem resolvi ultimo non possit: nihil item agunt spiritus, quod non cogitando agant. Hinc nemo non videt duplicem item suppetere nobis rationem, qua

Dei existentiam confirmare facillimum erit. Etenim corpora, atque adeo materia ita sunt natura comparata, ut ad motum aeque, et ad quietem ferantur, nullaque sint ad alterutrum suscipiendum necessitate naturae suae coacta; quod in dubium revocare cum sensus vetat, tum vero ratio cogit. Nec enim fieri ulla ratione potest, ut quod quiescit inanimum corpus, sibi tribuat principium movendi. Hinc tamquam axioma inter philosophos cujusque aevi habitum est effatum illud, *quod movetur, ab alio movetur*. Quia vero quidquid est, et movetur, aut vi sua, et per se est, et movetur, aut vi aliena, aut pulsu agitatur externo, cum affirmare non possis, omnia vi aliena esse, et moveri (cum enim dicis omnia, nihil excipis, nihil excludis) fatearis necesse est, aliquid existere vi sua, quod caeteris, quae moventur, fons, et principium sit movendi. Quae quidem ratio Platoni, et Aristoteli adeo probata est, ut inde sibi viam ad Deum cognoscendum tutissimam sternere solerent; qua de re cum octo conscripsisset Aristoteles libros physicae ἀκροάσεως (a), quorum sex postremi toti circa motum, ejusque affectiones versantur, ultimus desinit in primo motore, qui idem sit immobilis, quique unica sit causa continui, et constantis coelorum motus.

Postremo hi quidem motus, quo intensiores sunt, aut paullo sunt remissiores, uti passim in corporibus observamus, eo etiam vividiorem arguunt vim, aut languidiorem, quod certe ex facultatibus animi fit etiam clarius. Fugit quippe neminem, non omnes aequa cognitione omnia videre. Est enim animorum, ut oculorum acies alii quidem magis,

(1) Ἀκροάσεως de auditu. Placet eruditiſſimo Viro Jac. Facciolato, ita hos libros fuiſſe ab Aristotele inscriptos, quod viva auctoris voce indigerent, atque explanante ipso cognoscere oporteret, atque adeo in hoc praesertim ab exotericis differunt, quorum dogmata legere ad intelligendum satis est.

alii vero minus acuta ; unde varia illa, ac multiplex pro varietate ingeniorum, ut gustus, sic et cogitandi ratio.

Jam vero quae res plures obtinet vires, aut virium, facultatumque gradus altiores, ea ampliore quoque pollet rei, seu entis ratione, magisque perfecta esse probatur; non secus ac profundiori fundamento, ac ampliore basi aedes inniti, quo majores sint, atque in excelsius fastigium attolluntur, necesse est. Nihil est autem in hac rerum serie adeo perfectum, quo perfectius aliquid excogitare non possis, ut nunquam ascendendo consistat mens tua, nisi quodam volatu summum quidpiam, atque extremum attigerit, et altissimum. Atqui summum hoc cum omnibus plenissime sit perfectionibus ornatum, ipsum sit causa, et origo, a qua manet, et communicari possit, quidquid demum est quovis modo perfectum. Habeant, inquam, ab illo non solum ut sint, quaecumque demum sunt, sed etiam *tali modo* ut sint: hoc est ut inanima sint, aut anima, sensuque praedita, ut intelligant, ut sapiant, ut bona, ut beata sint, quaecumque ista sunt. Quare nisi summa illa, et aeterna, increataque bonitas, et sapientia, et vis infinite, et sine modo ullo, mensuraque perfecta existeret, nec essent ullo modo, quae certum modum, ac limitem servant perfectionis.

Haec, quae dilatantur a nobis, sic premebat nobilissimus, et acutissimus Philosophus Anselmus. Ens Dei nomine venit, quo nihil in omni Mundo est nec potest excogitari melius: quod autem est hujusmodi, existit; secus enim non modo non caeteris melius, sed re quavis vel vilissima, quae existeret, inferius esset; existit igitur Deus.

At fieri non est necesse, inquies, ut, quod mente concipio reliquis omnibus melius, idipsum in rerum natura, et re ipsa existat; scilicet potest id esse tantum in intellectu.

Divo ipso bene adjuvante tibi equidem ita respondeo. Quod intellectu, ac mente versaris, nisi plane tuum sit, ac putum phantasiae commentum, rem, reive modificationem exhibet aut extantem illam quidem, aut possibilem. Quod vero extat, sive aliena vi, sive extet sua; quod item statim futurum est, ac vis illud creare sufficiens voluerit, humani ingenii commentum haberi nequit. Alterutrum igitur fateri cogeris, aut rem videlicet exhibere existentem, vel certe possibilem, quod de ente illo, de Deo intelligis, aut ingenii humani fabulam esse, et commentum. Non est autem ingenii commentum, quod ingenium non finxit, sed intellectus novit, atque detexit; cui nec addi quidpiam pro ingenii libidine, nec demi potest, quod denique varium reddere non valet varia, ac multiplex hominum imaginatio. Atqui hujusmodi est illa Dei idea. Ergo quod Anselmi mens pene divina de Deo intelligit, non illius est phantasiae opus: rem igitur quampiam exhibet. Hanc vero sive existentem feceris, sive possibilem, pari vi Deum esse concludam. Cum enim illud sit quovis ente melius, quod caeterorum est omnium principium; Deus est hoc principium, ex quo oriuntur omnia. Jam si istud habes possibile nec natum est certe, et aeternum est. Non, inquam, natum. Nam neque ex se potuit, neque ex alio: non ex se; nam quamdiu non fuit, nihil habuit, nihil potuit. Nec item ex alio: nam ex principio oriuntur omnia. Illius igitur nulla esse potest origo, et aeternum est. Merito igitur Deus summus, optimus, maximus.

Atque hinc demum patet, omnes, quas sensibus haurimus, rerum mundanarum ideas, praesentem, ac praepotentem suum Conditorem quam apertissime annuntiare. Siquid igitur in iis est certitudinis, quae est certe maxima, divina quoque certissime statuta erit existentia.

Reliquum est, ut videamus, num aliis ideis,

quas meditando nobis comparamus, detegi eadem veritas, et illustrari queat. Plurima namque de natura virtutis, et vitii animo versamus, plura etiam de cogitatione ipsa nostra intelligimus, mathematicae denique disciplinae, quibus solidiores scientiae, et artes utiliores vigent, multa pariter tradunt, quae quamquam nemo meditaretur, nisi prius cogitasset aliquid, quod sit corpus, vel a corpore, eorum tamen nullum est in natura simulacrum certum, atque expressum, quod sibi contemplandum proponat. At quoniam idea intelligi nulla potest sine aliquo, quod menti expresse obversetur, obiecto, ut enim ajunt, *impossibilis rei impossibilis idea*; ideis hujusmodi incorporeis extra totum physicum ordinem sua respondeant obiecta necesse est, non illa ad arbitrium conficta, uti μυθολογίας pleraque omnia, *ea* enim *mens non creat*, sed detegit, neque ab aliquo rerum ordine, aut ab aliqua mentis nostrae hypothesi pendentia, omnem siquidem excedunt ordinem rerum quamcumque excludunt hypothesim, nulloque possunt temporis spatio comprehendi, quippe quae aeternitatis quaedam viva, et expressa imago, nec initium habent, nec finem. Quare cum verae sint ejusmodi ideae, uti nemo vertit in dubium, vere quoque existat ipsarum aliquod ἀρχέθυπον, seu exemplar, quocum conveniant, necesse est; sed in jam edita rerum natura nullibi sunt: illorum igitur est exemplar quoddam aeternum, quod frustra quaesieris extra divinum intellectum, qui cum res omnes comprehendit possibiles, tum iis propriam tribuere valet existentiam; quocirca quae ideae sic natura inter se copulatae sunt ut mens earum vinculum nequeat solvere, atque adeo cogatur assentiri, res ita se habere, ut esse aliter nequeant, iis non minus verum respondet extra mentem obiectum, quam reliquis respondeat ideis, quae nobis repraesentant hujus rerum universitatis entia. Quorum omnium causam ille solum poterit cognosce-

re, qui divinam illam mentem felix noverit, atque suspexerit.

Haec me ratio eo solet adducere, ut non inutilem prorsus, judicem celebrem Cartesii demonstrationem; quae in ea tota est, ut statuat, tuto, citraque errandi periculum affirmari posse, Deum esse, quod in idea clara, et distincta Dei, entis nimirum omni ex parte, et infinite perfecti, ejus simul existentia comprehenditur. Non iverim inficias, iis in rebus, quae suam ab alio mutuantur existentiam, non continuo esse affirmandum eas idcirco in hoc rerum ordine existere, quia illas clare concipimus; at quod dico, quod contendo illud est, hoc perfrui singulari privilegio ens necessarium, ut si esse vere intelligatur, re quoque vera existat. Concipis montem sine valle non posse existere, nam hujus idea in idea montis est, qui si existat, sua cum valle, quam basim dicerem, aut montis fundamentum, una existat oportet; atque hoc adeo necessarium esse ais, ut esse aliter nullo modo possit. Bene habet: igitur si quem mente intuitus eras montem, quis vocet ad existentiam, simul cum monte necessario existet vallis. Abs te vero quaesierim; cur non aeque necessariam montis, ut vallis, existentiam praedicas; quia, inquis, haec montis idea rem quidem, non vero necessariam, suaque vi existentem rem repraesentat: Quid si talem repraesentaret? tum non posse non existere; adeoque semper extitisse, semperque futuram affirmarem. Ergo si tibi constans es, quia in idea Dei, entis scilicet necessarii simul ejus includitur existentia; pugnat enim non esse eum, qui suapte natura est, Deum esse tuto debes affirmare. Quandoquidem illa entis necessarii idea non gratis, non ad arbitrium conficta, nec pro varia hypothesi, et vario rerum possibili ordine varia est, sed certa, et quae uti detegitur ita semper constans,

et quovis posito rerum ordine immutabilis cognoscitur.

Hanc ipsam veritatem ipsa *possibilis* ratio, notioque corroborat. Cum dicis, rem esse possibilem, ais, aliquid esse non actu, sed potentia, hoc est ais tibi esse compertum, illud minime praesenti frui existentia, sed in posterum toties fruiturum, quoties vis, et potentia aliqua illi tribuat existentiam; ais proinde tibi constare, vim tantam, tantamque adesse potentiam, qua fiat existens, quod antea non erat: secus nec posses assentiri, multoque minus adeo confidenter, et tuto affirmares rem illam, quae demumcumque ea sit, esse possibilem. Jam vero aut eam vim, et potentiam ponis illius rei esse, eique intestinam, et necessariam; aut illam ponis externam, et adventitiam. Si prius, erit suaemet naturae necessitate, adeoque semper extitisse, semperque futuram intelligas oportet, ac per consequens non rem possibilem, sed absolute rem dicere debueras; sin alterum, fatearis oportet, rem proprie non esse, quamdiu adventitia, et externa potentia non illi dederit existentiam; res igitur omnes possibiles tum vere possibiles sunt, cum vere existit ea potentia, quae suaemet naturae necessitate existit. Dum ergo uno ore philosophi rebus possibilibus hypotheticam tribuunt veritatem, simul entis necessarii velint, nolint, statuunt existentiam. Rem acu tetigisse mihi videtur vir doctrina, et purpura Eminentissimus Tolomei, qui ut divinae existentiae metaphysicam, hoc est absolutissimam praeberet demonstrationem, id maxime enixus est, perfecitque, ut possibilem omnino evinceret Dei existentiam disp. 2. sect. 5. n. 12. Hoc etenim semel statuto evidenti ratione ejusdem existentia, uti paullo superius indigitavimus, recta colligitur. Non me latet, Bartholomaeum Scardua in opere, cui titulus *Lezioni di Metafisica*, quod et maximi facio, et non parum

ad hanc lucubratiunculam proficit, ad hoc ut perfecta haberi possit illa demonstratio, velle (tomo 1. lez. 13. n. 71.), ut non modo demonstretur nullam non apparere in adstruenda Dei existentia impossibilitatem, sed fiat insuper evidens, pugnantia loqui eum; qui Deum traducit impossibilem. Quo in opere faciundo non admodum, opinor, insudasset Tolomei, quippe quod ex iis, quae antea demonstraverat, facili negotio inferri possit: verum istud propterea ab eo praetermissum, arbitror, quod utpote in antecedentibus inclusum exprimere minime duxerat necessarium. Gerdilius certe pluribus modis, id praestitit; cujus opera diurna, nocturnaque manu versare, qui optatam cupit metam philosophiae cursu attingere, auctor sum christiano viro.

Ad haec, quemadmodum rei cuique ex opposito respondet non res, seu nihil, ita cuique possibili contra respondet impossibile. Hinc duplici ex capite fit denuo evidens divina existentia. Nam primo non solum mente concipio varios nihili ordines, hoc est varias rei negationes, secundum varias rerum earumdem naturas, seu entitatum species (nec enim ambigendum in hac ipsa rerum universitate res esse alias aliis perfectiores, prout in ipsis rebus inter se mutuo comparatis, vel major esse deprehenditur numerus virium, seu facultatum, vel plures ejusdem facultatis gradus) sed etiam istud concipio, merum, putumque nihil, quod omnibus numeris absolutam refert, et plenam rerum omnium negationem: atqui non istud vere conciperem, nisi contra vere existeret mera, et puta res, quae perfectam, omnibusque numeris absolutam referret existentiam, atque adeo nulla abs re alia pendentem, sive primigeniam, et increatam; nullis finibus conclusam, seu infinitam nulla perfectione destitutam; sive perfectissimam. Secundo quamquam habita ratione ad varias possibilium classes impossibilium varias species faciunt

Metaphysici (1), in confesso esse tamen debet apud omnes, si proprie, et absolute loqui velint, unum esse putum, et simplex impossibile, quod nempe nec fuit, nec est, nec unquam erit existens, neque aliena, et exteriori, neque vi, et potentia interiori, et sua. Hoc autem statuto, consequens est, rem quampiam ita necessario existere, ut semper fuerit, semperque sit futura existens, omnes scilicet in se complectens possibiles existentiae gradus, quod nisi vi, et potentia existeret sua, qui posset alio pacto existere non video. Rem adeo sublimem, ac subtilem in propatulo ponam exempli gratia: circulum quadratum esse impossibilem cogeris assentiri, ita namque duae illae ideae circuli, et quadrati natura sunt disjunctae, ut evidenter cuique pateat, neutiquam posse ejusmodi vinculum inveniri, quod ullo modo, ulloque tempore eas valeat vincire; atque adeo nulla vi, atque potentia, nullo unquam tempore, quovis posito rerum ordine, circulus simul fiet quadratus. At qua tandem de causa? eo quod scilicet hic agitur de puro illo, et simplici impossibili, cui tota, et absoluta possibilitas opponitur. Quodvis aliud impossibile, quod toti, et absolutae potentiae non obstat, reddi in aliquo ex infinitis possibilibus rerum ordinibus poterit possibile, adeoque existens. Nequit igitur concipi merum, et absolutum impossibile, quin contra intelligatur absolutum possibile, sed absolutum possibile pollet vi, et potentia interiori, et sua, qua ita est, ut semper fuerit, semperque sit futurum existens; ergo si vera sunt, quae philosophi tradunt,

(1) Quod commoditatis gratia, et sermonis egestate factum putaverim. Commoditatis quidem gratia: nam ex jam tradita definitione generali percommode gradum facimus ad exponendas varias illas exceptiones, quae in diversis rerum ordinibus locum habent. Sermonis vero egestate: nondum enim etsi pluries propositus, adinventus est sermo, qui singulis, et distinctis vocibus singulas, et distinctas ideas designet.

de impoſſibilium, ſive contrariorum legibus, quibus celebre contradictionis principium innixum eſt, ad quod omnes veritates, ceu ad lydium lapidem revocantur, fateri coguntur exiſtere oportere illud ens, quod abſoluto impoſſibili veluti ex diametro opponatur, eique vere e contrario reſpondeat.

Si mihi per tempus liceret ſingulas perluſtrare ideas, de quarum veritate nemo dubitat mortalium, facili negotio novas divinae exiſtentiae eruerem demonſtrationes, imo ſi ideam ipſam veritatis evolverem, et nullam futuram oſtenderem tum rerum, tum noſtrarum cogitationum veritatem, niſi exemplar illud exſteret aeternum, cum quo ſi conveniunt verae ſunt, et eo magis verae, quo propius ſuo exemplari ſimiles, iterum, atque iterum illiusmet exiſtentiae neceſſitatem evincerem. Sed jam ſatis ſpeculationi indulſimus, ſatis quoque opum, et armorum paravimus, quibus jura divinae exiſtentiae defendi poſſint, et vindicari. Aut enim me omnia fallunt, aut allatae ſuperius demonſtrationes tanta luce meum pervadunt animum, ut eamdem ſentire mihi videar evidentiam, perſpicuitatem certe in hoc effato *Deus eſt*, ac in illa omnium ore protrita enunciatione,, bis bina faciunt quatuor,, et in alia quavis evidenti propoſitione. Nec dubito, quin mecum idem ſentiant, qui quid ſibi vult nomen *Deus*, probe teneant. Cum enim omni argumentorum genere extra dubitationis aleam poſitum a nobis fuerit, eſſe Coeli, terraeque artificem; ab eoque principio oriri omnia, ipſum autem nulla ex re alia naſci; conſequitur inde neceſſario, hunc ſummum artificem, quem Deum nomino, ita eſſe, ut non eſſe nequiverit; in eoque ſit ejus ſubſtantia poſita, ut ſit: adeo ut qui illum eſſe dicat, Deum dicat, et Deum dicere, et eſſe idem ſit: quare ſi rationis evidentia (ſic enim clariſſimus Condillacius loquitur) in hoc conſiſtat, ut quod praedicat propoſitionis

subiectum, idipsum enunciet praedicatum, quamobrem in utraque popositione parem habet locum identitas, utraque evidens dicenda est; si cui tamen non statim, ut in altera illa, pronuntiatis terminis appareat identitas, quae enunciationem hanc, *Deus est*, sive *Deus est existens*, comitatur, huic facile ea poterit demonstrari; quod est indicii, illam inter terminos propositionis identitatem reipsa adesse.

Nec enim aliud quidpiam praestat tandem demonstratio, quam aut palam facere, enunciationem, quam demonstrandam suscipimus, eamdem prorsus esse, ac sit alia pro evidenti habita, aut ostendere, ipsam inde immediate consequi, necessariamque cum illa fovere connexionem. Qua ex re intelligi illud potest, cur verum fuerit a Graecis dictum ἀληθὲς quasi minime latens, eo quod scilicet, quae nobis evidentia, ea pariter vera sunt; licet non e converso quae vera sunt, ea sint omnia nobis evidentia, quippe quorum aciem plerumque fugit veritas, quae auctore Socrate in alto latet.

Restat igitur, ut quem tot, tantisque signis, et splendidissimis caracteribus novimus existere coeli, terraeque creatorem, et opificem Deum, Optimum, Maximum, per quem omnia constant, quaecumque existunt, et omnia existere queunt, quaecumque possunt existere, debito mentis, et oris prosequamur honore, caventes, ne nobis contingat inanis gloriae cupidis, quod in Gentium philosophis deplorat, ac reprehendit earumdem Gentium Apostolus Paulus; qui cum Deo ex visibilibus cognito parem, ut debuerant, cultum, honoremque non attulissent, evanuerunt, atque extabuerunt in cogitationibus suis. Atque hic opportune caderet, veluti catenam quamdam, et seriem exhibere praecipuarum Dei proprietatum, et attributorum, quae ex entis necessarii notione liquido fluunt, ut cordati nonnulli viri praestitere; qua capta occasione et insanientium ho-

minum deliramenta notare, et divinam supra humanum captum excellentiam prodere mens foret; verum ne prolixiores justo simus, illius vice veluti lapidi erecto, ac monumenti ergo, omniumque aetatum eruditionem, contractam hanc sententiam inscribemus.

D. O. M.
MENS A SE ET PER SE VNA
AB OMNI CONCRETIONE RERVM
SEGREGATA
INFINITA VI AC SCIENTIA
PRAEDITA
OMNIA EFFICIENS ET PER OMNIA
SINE VLLA MENSVRA
DIFFVSA

Si denique hac Dei qualicumque notione libata sitim acriorem tuo excitarim in animo, ut ea minime contentus adhuc roges me quid, aut quale sit Deus; Auctore utar Simonide, de quo cum quaesisset hoc idem Tyrannus Hiero deliberandi causa sibi unum diem postulavit. Cum idem ex eo postridie quaereret, biduum petivit. Cum saepius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero requireret, cur ita faceret (1), quia quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior. Non secus tibi quaesitus reponet Proclus, a quo Deus dicitur *omni silentio inexplicabilior* lib. 2. Platon. Theol. c. 2. Alludit autem, nisi fallor, ad oracula Zoroastris n.41., ubi mens divina dicitur *silentium*, hoc est in se latens; et Seneca, *quid sit*, inquit, *sine quo nihil est, sciri non potest* lib. 7. nat. quaest. c. 31. Neque est, quod mireris: nam si et eorum, quae sub ipsos

(1) Quod Cicero Simonidi tribuit, Tertullianus in Apol. c. 46. tribuit Thaleti, quem facit de re hac interrogatum a Craeso Lydorum Rege.

cadunt sensus, naturam, et essentiam pervidere homini negatum, si mens ipsa, qua nihil nobis potest esse intimius, nihil certius, philosophi operam ludit, quanto magis infinita Dei substantia, cujus natura luce inacessibili circum funditur, humanae mentis aciem fugiet, cujus sphaera tam arctis limitibus coarctatur? An te non poenitebit, acrioribus, atque acutioribus oculis orbum esse, et captum; dolebit vero, finita, ac certa, qua donari poteras, cognitione infinitam, et immensam non comprehendere essentiam? aut si naturae nostrae sciendi cupidissimae indulgere volumus, ut quaerat, num illud quoque indulgebimus, ut sine modo quaerat? „ Altiora te (inquit Sapiens Eccles. c. 3. v. 22.) ne quae„ sieris; et fortiora te ne scrutatus fueris: sed quae „ praecepit tibi Deus, illa semper cogita; et in pluri„ bus ejus ne fueris curiosus: „ quamobrem ad divinam potius providentiam curiosius, ac minus oscitanter, quam fieri soleat, in suis operibus agnoscendam orationem nostram convertamus.

LIBER SECUNDUS

DEUS EST PROVIDUS

Illud ipsum humanae rationis lumen, quo esse Deum conspeximus, mentis oculos sic radiis suis perfundit, ut nullo per se quisque negotio detegat, nil praeter Deum ipsum a se existere, nihil quod ab eodem Deo non habuerit, ut esset, existere unquam potuisse. Quin etiam id, quod nondum esse concipimus, nulla quoque ratione Conditoris voluntatem ad manum operi imponendam cogere valuisse, aperte perspicimus. Ex quo conficitur tum denique illud existentiam obtenturum, cum primum supremo illi, et sapientissimo Auctori placuerit. Quare hic, qui

nunc existit rerum ordo, hic adspectabilis Mundus, quando suam coeperit existentiam, nisi ab historia rerum gestarum magistra didicerit philosophus, inter ignota recenseat necesse est. Nihil enim in hac scientia ingenii contentionem posse, satis miserando exemplo suis illis naturae ἐποχαῖς *aetatibus* ostendit novus iste Gallice loquens Plinius (nam sic vocant passim Buffonium), ejusque asseclae, qui et effectus sine causa probare, et sibi pugnantia loqui deprehenduntur. Porro universus hic rerum ordo, ordinis est expressio quaedam, et explicatio illius, quem reliquos inter omnes Deus mente sua complexus tamquam in specie quadam, et imagine aeterno tempore contemplabatur. Quoniam vero Deo, cui tanta est efficacia, et ἐνεργεία, ut nihil rerum valeat ejus voluntati absolutae resistere, visum fuit, ex illis ordinibus unum aliquando exprimere, et quod mente tenebat, externum vi suae voluntatis, atque omnipotentiae e nihilo quasi productum reddere, quod *creare* dicimus, operae pretium erit, quae sit tanti hujus operis providentia, diligenter investigare.

Si quem volumus Reipublicae conditorem, aut legislatorem ab oeconomia, et providentia laudare, Lycurgos, Dracones, Solones, Charandas, Zeleucos, Platonas, caeteros; duo haec prae oculis illos habuisse dubio procul ponimus, ut et rectum sibi, ac laudabilem finem proponerent, et media, sive mavis rationes ad finem consequendum magis idoneas, qua in re operis perfectio tota consistit, pararent. Nec dignum certe est, quod laudetur, machinae cujusque artificium, cujus partes nec ita affabre elaboratas, nec ita apto inter se ordine, nexuque dispositas animadvertimus, ut non quam facillime negotio, ut non tutissime, ut non plenissime intentus ab artifice finis obtineatur: in quo si quid redundet, aut desit, tum maxime auctoris se prodet inscitia, atque temeritas. Quod non perin-

de accipi volumus, ac si Divinae providentiae ordinem aut hisce humanae industriae, ac providentiae modulis metiri, aut eam in judicium (a qua impietate vehementer abhorremus) adducere velimus. *Quid tam stolidum*, inquit Boethius, *ex nostris rebus conjecturam de iis facere quae ad Deum pertinent, ac nostram in illum imbecillitatem transferre?* quippe constat, quidquid tandem est in quovis humani ingenii partu perfectionis, atque adeo decoris, atque speciei, id fuisse ab hominibus ex ipsa naturae contemplatione, imitationeque mutuatum (1). Sed ideo fuerit a nobis animadversum, ut palam sit, atque exploratum, qua via, et ratione ad divinam providentiam intelligendam pronum sit ipso rationis lumine pervenire.

Jam vero Supremi Numinis optima, ac perfectissima natura demonstrata, statim quisnam esse debuerit universi hujus operis finis elucescit. „ Quaeramus, ajebat Plato (2), Cicerone Interprete „ causam, quae eum impulevit, qui haec machinatus sit, ut originem rerum, et molitionem novam „ quaereret; bonitate videlicet praestabat: probus „ autem invidet nemini. Itaque omnia sui similia „ generavit. Haec nimirum gignendi Mundi causa „ justissima „. *Nam quaecumque aliae praeter bonitatem afferuntur* inquit Hierocles (3) *causae fabricandae*

(1) Ἀρχέτυπον γὰρ τῆς τέχνης ἡ φύσις, ἴνδαλμα δὲ τῆς φύσεως ἡ τέχνη. *Theod. Orat.* 3. *de provid.* Exemplar enim artis natura est, simulacrum vero naturae ars.

(2) Plato in Timaeo. Λέγωμεν δὲ δι' ἣν αἰτίαν γένεσιν καὶ τὸ πᾶν τόδε ὁ ξυνιστὰς ξυνέστησεν ἀγαθὸς ἦν. ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίγνεται φθόνος. τούτου δὲ ἐκτὸς ὢν, πάντα ὅτι μάλιστα ἐβουλήθη γενέσθαι παραπλήσια αὐτῷ. ταύτην δὲ γενέσεως κόσμου μάλιστ' ἄν τις ἀρχὴν κυριωτάτην παρ' ἀνδρῶν φρονίμων ἀποδεχόμενος, ὀρθότατα ἀποδέχοιτ' ἄν.

(3) Hierocl. in aurea carm. Pythag. αἱ γὰρ παρὰ τὴν ἀγαθότητα λεγόμεναι αἰτίαι τῆς δημιουργίας τοῦδε τοῦ παντός, ἀνθρωπίναις περιστάσεσι μᾶλλον, ἢ Θεῷ πρέπουσι.

hujus universitatis humanis affectionibus potius conveniunt, quam Deo. Nimirum qui optima natura est, si quid adgreditur operis, optimo fine adgrediatur necessum est: cum igitur Deo natura, et οὐσιωδῶς *substantive* bono, a quo ceu fonte profluit, quidquid est boni, nihil melius nec esse, nec excogitari queat; inde conficitur, Deum nihil aliud in hac Mundi fabrica intendere potuisse, quam suimetipsius, hoc est summae, et aeternae, increataeque bonitatis, sapientiae, virtutis, suaeque pulchritudinis expressionem quandam, et communionem. Rursus quia summae sapientiae, infinitae virtutis, inexplicabilis pulchritudinis opus non potest, quin concipiatur, sitque in suo quidem genere omnino perfectum, suisque pondere, mensura, ac numeris absolutum; praestantissima dicenda est tota haec Mundi fabrica, iisque partibus perfecte cumulata, quibus notitia divinae naturae, divinarumque perfectionum ab intelligenti quavis natura facillime habeatur.

Non is equidem sum, qui hunc rerum ordinem omnium possibilium optimum jactem. Me enim partim finitae, et certae hujus universitatis animadversio, quae caeteras res omnes, maxime vero contrarias ex aequo possibiles excludit; partim etiam supremae illius sapientiae, ac virtutis contemplatio, quae multifariam novit, ac valet eumdem a se praestitum finem obtinere, in eam jamdiu persuasionem injecit, ut sentirem (quod summorum virorum Timaei Locrensis ac Leibnitii pace dictum volo) alios aeque optimos esse possibiles rerum ordines, in quibus divina se virtus, sapientia, pulchritudo, atque bonitas pari, adeoque meliori etiam modo valeat conspicuum facere, atque explicare. Praesens tamen haec rerum universitas adeo divinam illam naturam manifestat, ut terminorum ordinis hujus omnium complexionem nequaquam tenere oporteat, sed vel uno termino hujus systematis percepto, ex una vi-

delicet hominis fabrica, tanti opificis finis possit quam facillime obtineri. Siquidem Deus cum vellet prima rerum molitione imaginem ducere, ut in Minerva Phidias, ipse Artifex similitudinem sui indelebilem operi impressit, et corporibus quidem suae potentiae, et sapientiae vestigia; spiritibus autem non modo sui vestigium impressit, sed et imaginem; eamque non qualis a pictoribus ducitur penicillo, colores tantum, et figuram exprimens, sed ferme qualis conspicitur in speculo, quae motus, et actiones imitatur. Deus enim spiritibus quidem lucem affudit intellectus, qua veri hauriunt cognitionem; quae est quaedam quasi scintilla divinae lucis; eorum deinde voluntati veluti comitem, aut pedissequam tantam efficaciam addidit, qua ciere motus, et actiones producere scirent, quibus rerum status, et existentia pro viribus immutarentur: quam paene dixerim expressionem summae illius, et efficacissimae virtutis, atque ἐνεργείας, qua res hujus mundi universae, species, atque imagines aeternorum exemplarium ita fuerunt expressae, ut cum prius divini tantam intellectus obiecta existerent, suam deinde, et externam, et nativam sunt adeptae existentiam: postremo libertatem arbitrii eis addidit, et immortalitatem, quae non obscura sunt divinae imaginis lineamenta, et Dei imitamenta. Deus enim, cui obiici extra se nullum possit infinitum bonum, nullum, a quo efficaciter moveatur, liberrimus est; quique interminabilis vitae, omnisque boni tota simul, et perfecta possessione gaudet.

Inter corpora autem facile primas obtinet Coelum, quo, tamquam velo, suam Deum tegere deitatem ajebat Hierosolymorum Archiepiscopus Cyrillus *Catechesi* IX. Est enim divinae infinitatis imago quaedam sua ipsius figura, quae in rotunditatem facta quodammodo nec initium habet, nec finem. Taceo tantam illius pulchritudinem, syderum non mo-

ror multitudinem, et ornatum, magnitudinem illius non extollo; sed tam certos illius motus, tam ratos astrorum ordines, tamque omnia inter se connexa, et apta cum video, summam illam rationem, summumque consilium, quibus illa primo excogitata, et elaborata sunt, tum vero distincta, atque disposita praedicare nunquam cessarim. Quum autem ad usum, et utilitatem singulorum, quae mundus continet, Telluris potissimum, et qui in ea sunt, hominum, factam fuisse deprehendo eandem descriptionem, ac designationem, tum sese ultro exhibere intuendam socordibus etiam, et invitis divina providentia mihi videtur. Quare de Dei providentia dicenti hoc mihi proposui (nam est necessum tot rerum jucundissimarum copiam in orationis angustias cogere) in plerisque tantum sive infernis, sive supernis naturae operibus ubique vigilem, cunctaque nutu regentem, ac moventem commonstrare naturae ipsius Conditorem. Non quod mihi gratum, ac volupe non foret ad singulas naturae creatae partes te deducere, et ut in pueris fieri consuevit, qui primos gressus figere incipiunt, tibi pedetentim omnem hanc totius Mundi machinam obambulanti ubique apparentem Dei providentiam indicare; quod tibi quidem jucundum futurum conjicio; sed ne id exequar, usus ipse, et commodum, quod ex ordinis supernarum rerum cum infimis istis, et terrenis contemplatione ad divinam providentiam aperiendam percipire proposuimus, prohibet interdum, quominus hosce veluti gradus vel ascendamus, vel descendamus. Igitur antequam coelum, quo te contemplationis pennae sustulerunt, ab oculis amittamus, in eo maxime illa occurrit spectanda, quae ad animantium, ac satorum etiam omnium e terra propagationem, et conservationem necessaria fuit, perpetua coelestium orbium agitatio, ac vicissitudo, qua provide fit, ut ne exitialis quidam torpor rebus inferatur qui animantes

omnes, ac stirpes una perimeret. Nec te, amabo, ea ab invicem distantiarum tam scita proportio fugiat, qua non universi tantum rerum ordinis incolumitati, sed homini communis naturae veluti cuidam Regi, et Sacerdoti consultum in primis voluit Deus. Nam si Nili incolas, qui scilicet catadupa, seu catarractas tenent, fragosus aquarum impetus surdos reddit; quid immanium illorum corporum assidua agitatio efficeret? miseram profecto (ut non indocte quidam animadvertere propius coelis admoti vitam in perpetua surditate, et lacrymabilem societatem ageremus, nec mutorum animantium absimilem. Cum autem ratis astrorum ordinibus, variisque eorum motionibus, et aequis inter se omnium distantiis divina rerum praesensio, ac scientia, tum etiam consulendi voluntas satis conspicua fiat; Solis tamen tum diurnae conversiones tum annuae sedulitatem, ac procurationem rerum etiam infimarum penes Deum certissime declarant. *Deus enim*, ut scribit Lactantius lib. 2. cap. 8. *illum moveri voluit, et tam varie moveri, ut non modo lucis, ac tenebrarum mutuae vicissitudines fierent, quibus laboris, et quietis alterna spatia constarent, sed etiam frigoris, et caloris, ut diversorum temporum vis, ac potestas vel generandis, vel maturandis frugibus conveniret*. Optime sane. Nam quemadmodum frigore plantas simul, et semina in altum germinare prohibet naturae conditor, et vegetativam vim in radices distribuit, eamque in altum obluctantem frigore, ceu flagello quodam ad inferiora compellit, et reptilium simul, quae et plantis, et seminibus nocent, corpora perdit; ita e contrario caloris vi, quo terrestria omnia confoventur, soluti, laxatique palmites pullulare, et tellus germinibus, floribusq. virere, aptamque, et maturam aetatem adepta frumentum aliosve efferre fructus, coguntur.

Noli hic mihi, quaeso, molestus fieri, ejusmo-

di exprobrans explicationem, qua terrestris hic quidem orbis, non vero Sol totius planetarii systematis centrum sumitur; quasi in castra iverim Ptolemaica, et Copernici hypothesim Astronomicis phaenomenis explicandis rejecerim planiorem. Nam nec poterat Lactanctius in scenam Copernicis vestibus prodire, nec minus adversus homines benefica apparebit mens Conditoris, sive Sol, sive Tellus duplici illo motu *rotationis*, et *revolutionis*, quem *diurnum* motum vocant, et *annuum*, dies, et annos, annique tempora discriminet.

Exoriens itaque Sol, quod, tua jam pace dixerim, diei auctor est; occidens vero, et se veluti occultans nocti cedit, cujus calignosas tenebras Lunae, et Stellarum beneficio ille rerum conditor ita temperat, ut multa necessaria nobis iis facibus agamus. Quot nobis, quantaque una Solis luce commoda contulerit Deus, sine qua nihil differemus a coecis, nemo est, qui proprio non teneat experimento. At si lux quaedam perpetua, (qualem nimirum futuri illius saeculi conditionem fore credimus iis, qui immortales futuri sunt, apprime convenientem) nullo intercedente medio permansisset; unica illa dies continua totius praesentis saeculi mensura fuisset; certe nec annorum orbes, nec mensium numerum, temporis uno verbo mensuras, et spatia nec discere, nec edoceri potuissemus, cum haec alioquin scientia nobis, qui finitam, certisque circumscriptam temporum spatiis vitam vivimus, sit omnino necessaria. Non minorem itaque quam dies, nox utilitatem hominibus confert. Praeterquamquod et satietatis fastidio omnes solvimur, et mercenarius hujus beneficio requiescit, et servus laboribus finem, et quietem invenit. Noctis enim tenebrae vel laboriosissimos quosque a laboribus cessare cogunt. Hanc ipsam belligerantes quoque, et pugnantes saepius optaverunt; hi nenpe, qui et victoria usi hostes fugientes persecuti

sunt; et eamdem adventantem conspicati persequendi finem fecerunt; fugientibus vero fugam concessere securiorem, et magis tutam. Eadem homines domum congregat (ita quidem Theodoretus), et dulcem somnum illis conciliat; feras autem ad pastum educit, et liberum, tutumque pascendi tempus exhibet. Nox igitur diei succedens temporis mensura est, et cum haec septies diem excepit ἑβδομάδος, seu septimanae spatium complet; mensis vero spatium ex luna colligimus, unde nomen etiam illi inditum est; nam Graeci lunam μήνην nominare consueverunt: sicuti ex solis motu per transversum signiferi circulum oblique repentis annum solent homines demetiri. Quibus in motibus Solis potissimum, et Lunae illud providentiae singularis indicium velim advertas, quod ita temperantur, ut certis limitibus, ac veluti obicibus definiti teneantur, quos nec ultra progredi possunt, nec citra consistere, ne vel accessu propiore, vel longinquiore recessu terrarum incolis infestam habitationem redderent. An non omnes una consumeret die igneus Solis radius, si propius communem hanc hominum, ac brutorum sedem, ac domicilium suis illis spiculis vibraret? an putas, Solem, cujus calore tota simul faecundatur, generat, et vivida manet natura, non continuo mortuam, geluque concretam suo recessu relicturum?

Quid plura? est ne aliquis, qui non videat, animantium genus omne atra peste brevi consumptum iri, si tanta aquarum vis, quas *maria* dicimus, statis Lunae accessibus, et recessibus non assidue cogeretur ad eum, quem primo Deus indidit, motum retinendum, minimeque impediretur, quominus hic, quem trahimus, spiritus, qui non alius, quam terram circumambiens aer est, aquis stativis corruptus non amplius ad vitam ducendam esset idoneus? quid si Luna longius ipsa recederet, quam suam illam sive *attractionis*, sive *gravitatis* vim maria sen-

tirent? quid si vicinius, quam ferre possent, accederet? Omnino ipsa per se vox illa erumpit, quam divinus Psaltes in admirationem raptus emiserat, *quam magnificata sunt opera tua Domine? omnia in Sapientia fecisti.*

Accedit his quatuor anni partium jucundissima simul, et ad educandas, ac maturandas fruges, quibus alimur, utilissima successio. Etenim ne nobis essent repentina conversione molestae tempestates annuae, sed paullatim, et per lenta incrementa fierent tollerabiles, non aestatem modo dedit, et hyemem ille hominum Pater, sed ver quoque, et autumnum; quibus aestum inter, et frigus medium quoddam temperamentum inest, amantissime concessit. „ Vernum enim tempus extrema hyemis fri„ gora, et aestatis calores, quae sibi invicem contra„ ria sunt, hostiliterque pugnant, in consortium, „ et amicitiam pertrahit, et nos dum pedetentim „ illius frigora (Theodoreto utor Auctore, verbis „ graecis abstineo) deserimus, et hujus calori appro„ pinquamus non ullum damnum ob nimiam mu„ tationem subire cogimur; similiter Autumnus „ summum calorem summo frigori miscens, et „ aliud quoddam temperamentum constituens paul„ latim absque molestia ad illud quoque extremum „ deducit. Rursus hybernum tempus pluviae divi„ tias seminibus affert, iisque nutrit, ac fovet, ut „ mortalibus etiam ingratissimis necessarius victus „ suppeditetur: novo ineunte vere aeris calore so„ luti, laxatique palmites gemmare coguntur. De„ inde ubi viguerit aestas, et solares radii aerem ve„ hementiori calore incenderint, triticum quidem „ agricolam ad messem vocat: uvae nigrescunt, „ oleae enutrito jam fructu turgent, et maturescunt „ pomorum genera. His superveniens Autumnus „ haec permatura cultoribus suis exhibet, qui ubi „ fructus omnes collegerunt ad sementem faciendam „ denuo accinguntur.

Quae etsi omnia ad fidem divinae providentiae faciendam recta conducant, nihilominus animalem potius, ut ita dicam hominum vitam, quaeque nobis sunt cum brutis communia, quam vim illam pene divinam, qua tantopere belluas antecellimus, ut sit nostra propria, rationem respiciunt. Atqui huic maxime provisum voluit Deus, cum immanem tot, tantorumque corporum vastitatem et in ordinem coegit, et ut eodem semper modo ordo se haberet, quadam quasi lege cautum est. Neque enim aliud ullum est animal, quod sentiat, quid sit ordo. Ergo cum nihil rerum coelestium vel minui, vel augeri, vel mutari, vel perturbatam aliquam affectionem perpeti, sed concinnam illius esse motionem, et aequabilem ordinem cernas, definitas Lunae leges, Solis ortus, occasusque praefixos, et ratis temporibus circumscriptos, jure tibi proprio divinum cernis eorum omnium praesidem, et rectorem Deum. Cum enim quae casu accidunt, ea careant stabilitate, ac constantia, illico intelligis, si non universis modo, sed etiam singulis rebus ratio illa divina non prospiceret, inter tot eventus, ac varietates conservari, ac retineri non posse, quominus funditus interirent. Nec minus perspicua est in caducis istis, et coelo subjectis rebus Summi Numinis providentia, ad quas te statim iisdem contemplationis pennis deducam, si prius quae sint aeris commoda cursim attigero. Hic certe ore haustus, et eum, qui nobis ingenitus est, calorem recreat, et vitae opitulator est. Hunc enim respirando tum nos homines vivimus, tum bruta quoque omnia tam volatilia, quam reptilia, et amphibia hoc, ceu vitae opitulatore utuntur. Idem commotus ventorum auras nobis praebet, densatus nubium irrigationibus terram humectat, ac denique Solem inter, terrasque diffusus radiorum sic temperat vehementem vim, ut ejus etiam luce sine molestia, et dolore fruamur. Nec minoris providentiae est, quod nec absu-

mi aer post tot annorum millia, nec totus vitiari simul ulla causa potuerit, sitque continua quaedam ejus regenerandi, atque innovandi cura Naturae (1). Per aerem mox ad terram pronus hujus in primis situm considera, et multiformem speciem. Nec enim omnia vel supina, vel plana, aut etiam ardua sunt, sed in montes, vallesque nemorosas, et campos tota divisa terra est. Montes, quos spectare non incongrue posses veluti ossium hujus terraquei corporis compagines, vallium praecipitiis discreti et hybernis, ac nivalibus aquis meatus parant, per quos quasi per totidem venas in flumina, ac fontes inexhausti aquarum thesauri influunt; et hominibus in iniquis, et asperis locis faciles viarum semitas extendunt, et fabrorum arti materiae exhibent divitias, atque adeo nihil nobis prosunt minus, quam camporum planities, qui montium cultoribus frumenti copiam, et usum retribuunt. Finge, amabo te, veteribus illis qui tanta sciendi cupidine capiebantur, aliquem divina ope instructum pandere potuisse, quin etiam eo traductis coram ostendere Zonae habitatores. Quanta, putas, detectio isthaec admiratione perfunderet illorum animos, qui totam inhabitabilem fore, quod, ut habet Pomponius Mela *de Situ orbis lib.* 1. *c.* 1. eam aestus infestat, credidissent? Cum vero quidquid exsuperantis caloris est, non modo aequalitate dierum, et noctium perpetua, sed altissimorum potissimum montium, et quae hinc oritur, maximorum fluminum copia ita temperatum viderent, ut regio haec torrida infinita hominum, animantiumque multitudine abundet; quibusnam laudibus divinam provisoris sapientiam celebrarent?

(1) Seneca *de Benef. lib.* 4. *c.* 7. *et* 8. Quocumque te flexeris, ibi illum videbis occurrentem tibi. Nihil ab illo vacat. Ergo nihil agis ingratissime mortalium, qui te negas Deo debere, sed naturae . . . Quid enim aliud est natura, quam Deus?

quanta Ciceronianae eloquentiae, et quam uberrima materies?

Sed jam tibi tota patet Tellus, et sive terras perambules, sive lubeat maria peragrare, sive orientem versus, sive occidentem Solem, sive austrum, sive septemtriones mavis adire, ubique se tibi terrarum spectanda offerunt divinae providentiae certa vestigia.

Nihil adeo a me; quos habitus, et ingenia alia aliis terris indidit rerum omnium parens natura,

Continuo quas leges, aeternaque foedera certis
Imposuit natura locis . . . . *Georg.* 1. *v.* 60.

Nihil de multiplici arborum, et herbarum genere, quas benefica illa, ac sapientissima natura suis quasque aeternat seminibus tanta singulorum opportunitate, ut alias aliis in locis ad conservationem, et salutem, ad cultum hominis, et delicias germinare abunde dederit, et vegetare; nihil de bestiis et terrenis, et aquatilibus, et volatilibus, quas hominum gratia generatas esse videmus; nihil demum de tanta ubertate, et varietate pomorum, eorumque jucundo non gustatu solum, sed odoratu etiam, et aspectu, deque fructibus cunctis, qui e terra, e fontibus, e fluviis, e mari proveniunt, nihil audire desideres. Quae si omnia exponere velim, idem profecto fecero, quod ii, qui sive arenas, sive stellas numerare conantur. Interea dum infinita haec, et innumera bona quae rerum Pater, atque artifex tibi offert, pleno, ut ita dicam, ore percipis, tuum esse memento, gratam largitori optimo, qui semper obvius, facilisque tibi adest, servitutem exhibere.

Nam ego et rerum varietatem omnium, admirabilemque simul concentum; et animantium, ac stirpium perpetuam, ratamque propagationem; et humanorum vultuum providam diversitatem; et cultum, atque administrationem vitae brutorum propero.

Quibus expositis ad hominem, ad hunc, quem Graeci vocant, μικροκόσμον, summa rerum providentiae redibit.

Contrarias sibi invicem naturas amicitiae legibus Deus constrinxisse docet Theodoretus; sic enim ait. „ Nec ignis naturam aquarum copia extinguit; „ nec glaciale illud vel aerium nubilum coeli corpus „ nimio illo, et ardenti ignis ardore liquescit, aut „ perit. Sed licet vicina sibi cohabitent, celant „ tamen hostiles vires, et creatoris sui verbo per- „ suasa perpetuam sanxerunt amicitiam, idque cum „ inanimata sint, et mente gubernatrice careant, „ manent tamen, et eum, qui ab initio ipsis con- „ stitutus est, terminum custodiunt. Creaturam „ enim ipse creator regit, nec navim, quam ipse „ construxit, regimine, et gubernatore destitui pa- „ titur. (*Theod. de provid. Orat.* 1. *Lutetiae Parisiorum* 1642. *Tom.* 4. *G. L.*) Quo in loco illud occurrit animadversione dignum, nostris hisce diebus, qui dies philosophiae feruntur, quod puto novae quaedam physicis veterum inventis sint factae accessiones (1), novum sit detectum in America metallum „ Platina „; alterum sit visum in Coelo lumen „ Urania „ antiquissimam elementa naturae exuerint simplicitatem, et id genus alia, nostris inquam hisce diebus luculentius istud evadere argumentum sive ex ignis electrici explicatione (2),

(1) Vid. l' Origine des decouvertes attribuées aux modernes par Lovis Dutens; et qui inde ortas studet componere controversias, et quaerimonias sua illa *transactione* dirimere, Octavium Chiarizia, quem etiam novimus Scriptorem libri, cui titulus „ Lamenti delle Vedove.

(2) Nieuwentyt *liv.* II. *chap.* VI. Qu' il contemple (un Incredule) la vaste quantitè dè feu qu' il s' en trouve dans l' univers, et la force terrible de ce fluide; et qu' il nous dise après cela, si dans ces obiets il ne sçauroit decouvrir la sagesse, et la puissance de celui, qui conserve la terre, et empeche, que la feu ne la detrui-

quem constat cunctas pervadere ὑλικὰς substantias, ne ipsa quidem aquarum dempta natura; sive ex mira illa salis et acidi, et alkali vi, qua corpora tum componi, tum dissolvi varie conspicimus. Profecto cum contrariae res invicem, et mutabiles, ac suapte natura praecipites in occasum, et interitum tamdiu in illa conflictatione mutua perseverent, neque vel perimantur universae, vel earum saltem species aliqua, et natura concidat, quin etiam cum miram prorsus, et stabilem sive symmetriam, sive certe harmoniam in tanta discordia sui conservent, consequens est omnino, ab ea tantum natura, a qua una fieri, ordinarique potuerunt, eademque illa virtute regi, et contineri. Quid? ipsa tempestatum reversio, noctium, ac dierum anniversaria aequalitas, utrisque vicissim paribus intervallis, ac neque majoribus, neque minoribus, aut crescentibus, aut diminutis; haec, inquam, omnia quomodo semper eadem ratione gubernata permanerent, si nullus esset, qui provideret? quo vero haec et clarius percipiantur et firmius haereant in animo, stirpium, ac animantium rata, et perpetua propagatio facit. Quomodo enim ex homine homo, bos ex bove semper gignitur, et singula proprio ex satu nascuntur, non alieno; si non est providentia? „ Quod si quis ait Nemesius apud doctissimum, et eruditissimum Petavium „ naturali, ac necessaria quadam „ serie progredi ista dixerit, nihil dicet aliud, ni-

se; puiſque une matiere si violente, et si furieuſe, qui anime toutes choses, se trouve retenue, et bridée d'une maniere si merveilleuse, sans qu'elle consume, ou détruise rien, quoique cependant elle s'offre par tout, et se trouve à notre disposition pour tous nos besoins. La quantitè de feu est même si grande, que personne n'y sçauroit penser sans horreur, s'il n'ètoit assurè, qu'il y a un ètre, qui gouverne toutes choses, et dont la puissance retient ce fluide.

„ si providentiam una cum creatione versari. Quod „ enim aliqua serie, et consecutione creatum omne „ procedit, id est argumento, cum creatione si„ mul esse constitutam providentiam. Est enim „ providentia rerum, quae sunt, postquam sunt „ conditae, rectio, et gubernatio. Ita nihil iste „ dicet aliud, quam eumdem et factorem, et „ providere rebus omnibus „.

Quid loquar quam mira in convictu quotidiano, et humana societate perturbatio sequeretur, nisi tanta adhibita cura fuisset a providentia Dei, ut certis lineamentis, ac diversitate formarum distincti homines invicem forent. Immo nulla inter ipsos commercia fieri possent; eaque res ingentium malorum, et immanium scelerum, atque internicionis omnium esset occasio, si neque conjuges se mutuo discernerent, nec amicus ab hoste dignosceretur, neque liberi parentes, nec hi filias ab externis, aut uxoribus suis signo ullo distinguerent. Scelerati denique, ac facinorosi impune quidvis facerent, cum illa comuni omnium similitudine, ac confusione delitescerent. Nec vero illa parva divinae providentiae significatio est cultus, et administratio vitae Brutorum. Cuique animanti cognitum est, inquit D. Ambrosius 9. *Hexaem.* *cap*.4. „ quemadmodum suam tueatur salutem, si virtus „ suppetit, resistendo; si velocitas, fugiendo; si astutia „ praecavendo; quis eas usum medendi, herbarumque „ docuit habere notitiam? Homines sumus, et saepe „ specie herbarum fallimur, et plerumque quas „ salubres putamus, noxias reperimus. Quoties „ inter dulces epulas cibus lethalis irrepsit, et „ inter ipsas aulicorum excubias ministrorum vita„ lia regum fatalis esca penetravit. Ferae solo no„ runt odore noxia, et profutura discernere, nul„ lo praevio, nullo praegustatore carpitur herba, nec „ laedit. Melior enim magistra veritatis natura est.

„ Haec sine ullius magisterio suavitatem sanitatis no„ stris infundit sensibus : eadem doloris acerbitatem „ docet esse fugiendam . Hinc vita dulcior, mors „ amarior . Haec commendat Leaenae catulos suos, „ et immitem feram materno mollit affectu ; haec „ tigridis interpolat ferocitatem , et imminentem eam „ praedae reflectit . „ Haec ille . Multa praetereunda sunt, et tamen multa dicuntur . Quisnam avium innumerabiles turbas docuit terras , et maria statis temporibus peragrare ? Quis coelum quod . peterent eas docuit , ut cum nimios , vel calores , vel frigora aufugerent , temperatiora sibi praesto esse certo scirent ? Nae ille qui pastum large , et copiose eum , qui cuique aptus erat, comparavit . Ubinam gentium architecturam Castores didicere ? In ea certe schola , in qua geometricae figurae non tam addiscuntur, quam impressae referuntur . Verum ne illud , sodes , tibi excidat memoria , eos uno semper modo , eamdemque semper figurae speciem in suis aedificiis referre. Est ne , qui adeo artem musicam tractet , ut tot , tamque varios , tamque dulces , et harmonicos moduletur cantus , quot Luscinia nostras mulcet aures ? An artificis non perspicis scientiam ? An te potest fugere ad eos vocis sonos conficiendos sollers , subtilisque descriptio partium , admirabilisque fabrica membrorum ? Undenam tantam oeconomiae scientiam hausere vix natae formicae ,ut in horreis congregare frumenta , humoreque percita inde referre ad auras solemne habeant ? Ab illo quidem ipso Sapientissimo Provisore, qui ne illa grana iterum suo tempore pullularent utrinque rodere eas docuerat . In naturae scriniis a communi omnium Creatore , cum nec aliorum sermones audiant , nec legum volumina evolvant, nec doctorum scholas frequentent , mellis substantiam tam ingeniose conficere acceperunt laboriosum illud , et φιλόκαλον apum genus . Favos aedificant , nec regula , nec γνωμόνος indigentes , et angulos coaequales omni

mathematica scientia praestantiores efficiunt, humidamque mellis naturam tenuiore roris parte ex frugibus, atque floribus hausta crebris tabulatis veluti ex filis, et membranulis quibusdam contextis cohibentes, vasa dulcissimis replent liquoribus, laborisque fructum humano generi fruendum offerunt. Porro quam scite, ac sancte politicae, et sociae vitae leges sectantur? Confusam inter multos potestatem, et democratiam odio habent, unum ducem observant; huic parere illis gratissimum est. Habes, homo, rationem tibi familiarem; exemplar ob oculos positum animadvertito. Mens est, et natura rerum omnium optima parens, quae apibus nuntiis ad haec tibi ordinis documenta praecipit respicere. Eodem illo magistro utens Aranea tenuia, et invisibilia fere fila ducere, et δίαφανῆ (perlucidam) telam contexere didicit, qui naturam condens exiguas fecerat muscas, quae ea rete captae illis erant cibus, et dulcis esca. Qua quidem arte qui capi, ac venari volucres, et aquarum alumni pisces possent, homines edocentur.

Cornibus Tauros, exertis dentibus apros quasi armis instruxit defensionis: quibus tum etiam quando aliter possent, et iis minime valent nocere, hostes solent impetere. Quod non dubium indicium est, Deum, qui illis contra hostes feras provisit, simul propensionem adjunxisse, qua se stimulatas, ac punctas sentirent ad tuitionem sui, et conservationem. Sed quid plura commemorem? Quando quotidiana experientia certa, et constans eam hic esse declarat rerum omnium, tamque singularem Dei procurationem, ut non tribuerit modo brutis animantibus ad agendum, aut resistendum vires, et facultates, organa item dederit aptissima exquisito artificio elaborata, sed ὁρμὰς quoque adjecerit, et impetus, quibus tanquam admonitore uterentur in vita tuenda, in procurando pabulo, in quaerendis, aut fabricandis latibulis, ac nidis, in evitandis periculis, et quod ma-

gis divinam pandit providentiam singulis quibusque animantium facultatibus, et appetitionibus singula paraverit, ac ipsis propria obiecta, in quibus quasi in sua materie sese pro viribus jactarent eorum efficentiae? Si quantum inter tuum, et ipsius robur discrimen sit, Taurus, caeteraeque ferae novissent, tuam homo, nec vocem pertimescerent, nec flagelli ictus paterentur, nec animali se multum infirmiore servire sustinerent. Tantum humani ingenii ratio corporis viribus praestantior est. Tu, quum animalium genera tibi parere videas, illi parere stude, qui haec tuo imperio subjecta tibi servire fecit.

Ferarum te angit, ac percellit timor? At ducis loco tibi est timor iste, quo ducente ad Deum, qui tibi auxilium ferre potest, pervenis. Quid plura? Eadem haec bruta longiori a te spatio removit. Venenata antris quibusdam abscondit, et hominum conspectum, utpote dominorum suorum, fugere voluit. Quadrupedum vero generi sylvas, et cautes, et antris plena loca ab hominum consuetudine remotissima summus ille omnium gubernator ad inhabitandum decrevit, quemadmodum ad pastum certum illis tempus, noctem scilicet distribuit. Quae siquidem apertissime docent, rerum universitatis sapientissimum effectorem singulis quibusque rebus, ut par erat, solertissime per suam providentiam occurrisse, nihil tamen est, quod hominum progenie manifestius, ac invicte magis illam suadeat, et praedicet. Hac enim una tam excellentis naturae procreatione, quae antea muta, et elinguia indice tantum providentiam testificabantur, mox linguam, ac vocem ab hominibus mutuata undique scientiam, et bonitatem Creatoris sui conclamant. Non hic propterea mirabilem corporis humani fabricam, atque structuram; non singularum, quibus compactum est, non aptam omnium partium proportionem, multitudinemque magnifico opere perfectam, non artuum, atque membrorum opportunas

commissuras, non diversas, ac scite temperatas solidarum, et fluidarum partium habitudines commemorabo: quae quidem omnia leviter etiam degustata, non demonstrationem tantum, sed admirationem quoque, venerationemque tantae sapientiae, ac industriae parerent. At vim illam prope divinam, qua caeterarum rerum eminentem supergredimur excellentiam, adeo ut earum domini efficiamur, mentem, inquam, et rationem oculis subiiciam tuis. Etenim quam mirabilis providentiae est mentem hominum ab omni rerum concretione liberam tam arcto foedere, atque mirabili vinculo cum lutea hac, et corporea substantia colligasse, ut una inde fieret humana natura? Per hanc enim illud initur spirituum cum infinita corporum copia commercium, per quod omnes artes, cunctaeque disciplinae, et scientiae ad necessitatem, et oblectationem, ad bene, beateque vivendum et primo adinventae, et subinde fuere perfectae. Quo quidem in opere etiam summam illius opificis scientiam, atque bonitatem habebis perspectam si modo consideras, quanta praesentione ad illud commercium ineundum, atque servandum viae quasi quaedam sint ad oculos, ad nares, ad aures a sede animi perforatae. Quippe anima, cum neque corpus, quo cum juncta, et in quo clausa est, neque ea, quae forinsecus sunt, corpora cernere ipsa per se possit, organis quibusdam quasi fenestris, per quas et videat, et sentiat, opus habuerat, sine quibus adeo utile commercium penitus interclusum manet, et impeditum.

Non equidem diffiteor, quo magis a sensibus mentem abducimus, eo etiam fortius nos illas meditationes rapere; tantoque ipsis tenacius animum adhaerere, quo intimius, et attentius res illas spirituales perscrutamur: *Dum a corpore*, ait Cicero, *animum secernimus, in libertatem quasi vindicamus, in qua non liberius solum, sed et acutius, et dul-*

cius meditatur. In quo, si quid video, non leve deprehenditur argumentum, res istas caducas, et mortales nulla posse ratione humanae mentis beatitudinem, ac felicitatis, ad quam rapimur, veluti centrum constituere. Verum exinde mihi magis fit conspicua divinae in homines providentiae ratio, quae, ut sibi homines caverent, et prospicerent, (quo etiam fine statutum illud commercium fuit), eos de sui corporis statu tum voluptatis, tum doloris vi, atque indiciis voluit esse admonitos. Nam putas, homines sibi posse satis a noxiis cavere, nisi qui se corpus habeat, sentirent; et doloris causam a se removere studerent, nisi ipsa doloris vi adacti? an vero putas, si ex sui conservatione nullam perciperet anima voluptatem, sese amplius conservare eniteretur, quae tantam caeteroquin capit jucunditatem, tranquillitatemque, dum a corpore ad seipsam advocatur? Huic intelligendi vi sociam praeterea, ac veluti administram dedit Deus memoriam, et reminiscentiam, qua una dempta conservandi, excitandique olim receptas ideas facultate, non solum anteactae vitae sensum, et perceptionem obliterari, sed ipsius quoque rationis usum, et exercitium penitus extinigui oporteret. Non hic autem est divinae in homines providentiae modus, et terminus. Nam non solum animam fecit sensuum fontem, et ipsam sensum, ut et praesentia cerneret, et de suis perceptionibus non posset ambigere; sed etiam, ea facultate ditavit, (1) qua res cum rebus conferre, rerumque simul ra-

(1) Cicero *de Offic. lib. 1.* „ Homo, qui rationis est particeps, per quam consequentia „ cernit, principia, et causas re„rum videt, earumque progres„sus, et quasi antecessiones non „ ignorat, similitudines compa„rat, rebusque praesentibus ad„jungit, atque annectit futuras, „ facile totius vitae cursum vi„det, ad eamque degendam prae„parat res necessarias. Quod „ maxime interest inter homi„nem, et belluam. „

tiones, relationesque detegere scirent, ut futuro etiam tempore sibi possent homines prospicere: cujus facultatis illustriora exempla sunt Scriptura, et sermo. Certe sola ratione duce nos totam ferme naturam in nostrum pertrahimus usum, et commodum.
„ Nos enim efficimus domitu nostro (placet tuas
„ jam aures Ciceroniana eloquentia mulcere) quadru-
„ pedum vectiones, quorum celeritas, atque vis no-
„ bis ipsis affert vim, et celeritatem. Nos one-
„ ra quibusdam bestiis, nos juga imponimus; nos
„ elephantorum acutissimis sensibus, nos sagacita-
„ ti canum ad utilitatem nostram abutimur: nos
„ e terrae cavernis ferrum elicimus, rem ad colen-
„ dos agros necessariam: nos aeris, argenti, auri
„ venas penitus abditas invenimus, et ad usum
„ aptas, et ad ornatum decoras. Arborum autem
„ consectione, omnique materia et culta, et silve-
„ stri, partim ad calefaciendum corpus igni adhibi-
„ ta, et ad mitigandum cibum utimur, partim ad
„ aedificandum, ut tectis septi frigora, caloresque
„ pellamus. Magnos vero usus affert ad navigia fa-
„ cienda, quorum cursibus suppeditantur omnes
„ undique ad vitam copiae; quasque res violentis-
„ simas natura genuit, earum moderationem nos
„ soli habemus, maris, atque ventorum, propter
„ nauticarum rerum scientiam: plurimisque mari-
„ timis rebus fruimur, atque utimur. Terreno-
„ rum item commodorum omnis est in homine
„ dominatus. Nos campis, nos montibus fruimur,
„ nostri sunt amnes, nostri lacus; nos fruges se-
„ rimus, nos arbores: nos aquarum inductionibus
„ terris foecunditatem damus, nos flumina arcemus,
„ dirigimus, avertimus: nostris denique manibus
„ in rerum natura quasi alteram naturam efficere
„ conamur. Quid vero! hominum ratio non in
„ coelum usque penetravit? „ (*De nat. Deor. lib.* 2.)
Nos ipsum bonorum omnium auctorem, et fon-

tem, invisibilem Deum conspicimus. Ex qua cognitione exardescit amor summi boni, vehementissimumque studium, et illa nunquam nisi in ipso fonte explenda sitis.

Nam sitidundum cervum viderit nemo ad frigidas properare tanto desiderio, quanto fertur ardore ad illum divinum fontem irrequieta anima nostra; uti facile perspici possit ad unius Dei fruitionem in quo unice conquiescunt, et beantur, esse homines factos. Quod si non ita esset, nec ita nobis animos fixisset hominum sator, atque Pater Deus, nec eo, quo pertingere eos negasset, tanta propensione inclinasset, nec ipsa denique illius possidendi spes, ne dicam, sola cogitatio laetitia nos interim, tantaque suavitate perfunderet, ut vix majori cura prospicere rebus humanis potuisse Deus videatur. Quod ut manifestius fiat, porro quae hominibus subsidia, et quam scite, et quanta bonitate fuerint ab illa divina mente parata, paulisper attendendum est. Cum ea sit creatarum rerum omnium conditio, atque natura, ut precario quodam modo, minime quidem necessario existant, ut supra memini me dixisse, omnino necessum est ab illa increata, ac principe causa, a qua existentiam primitus fuere mutuatae, res omnes eo nutu regi, et ita ab ore ejus pendere, ut tandiu eamdem retineant existentiam, quamdiu eas durare sive siverit, sive statuerit earum opifex, et rector Deus. Ex quo conficitur, eas Deum naturas condere potuisse, quae aeterno forent tempore duraturae, nullumque finem essent habiturae, licet non potuerit non aliquando habere principium. Hac immortali natura satos fuisse homines, non communis modo omnium gentium sensus, verum, et simplex, ac solvi nescia suadet animi substantia, et illa, quam animis gerimus, beatitudinis interminabilis cupiditas. Et hoc quidem primum erat, et hominibus necessarium subsidium,

sive mavis medium ad summum illum, ac beatissimum finem consequendum. Sequitur alterum volendi libertas. Non eum rerum ordinem eligere, non ejusmodi providentiae systema promere, non placuit denique Deo sapientissimo artifici talem Mundum condere, in quo omnia, et mortalia, et caeca, et cognitionis essent expertia, et indeclinabili, ac fatali verterentur necessitate; sed eum tot inter possibiles mundos constituit ad existentiam vocare, cujus quaedam naturae sicuti ratione, cognitioneque praeditae, et immortales; ita et sui essent juris, atque consilii, nullaque externa causa cogerentur. In quo maxime et sapientia Conditoris, qui adeo sibi similem noverit producere imaginem, commendatur, et ejusdem bonitas elucet, qui tantam sui boni in opera sua diffuderit, ut homines, qua libertate donarentur, possent, siquidem vellent, ipsum bonorum fontem attingere, eoque perpetuo perfrui, et beari. Qua re nihil poterat excogitari potentius ad omnem religionem, et bonos honores componendos. Quid enim esset, aut cur Deum veneraremur, si fato adactus prospera, et adversa distribueret, aut cur bona, et honesta anxii faceremus, si hoc non esset in nobis, sed in natura, et causarum connexione positum? (1)

(1) Quemadmodum ad immaterialem animi naturam demonstrandam libro primo; ita hic pauca ad fidem ejusdem libertati faciendam pro re nata ſubnecto. Verendum scilicet mihi, ne aliter aut orationis filum rumpere, aut id quod caput, et operis pretium erat vel jejune prorsus tractare, vel admodum inscite negligere voluisse viderer. Est igitur in praesenti rerum ordine, quod agit necessario, et est quod agit libere; ac inter utrumque istud discriminis est. Quod agit necessario, ejus eventus certo quodam modo se habent, nec aliter se habere possunt: ut cum interjectu terrae luna obscuratur; nempe quia illo interjectus terrae est causa plena, et perfecta, qua posita luna obſcuratur, nec potest non obscurari. At quod agit libere, quamvis cauſae alicujus, aut rationis sive ductu, sive impulsu agat, ita tamen agit, ut

Jam vero quoniam ita se res habet, non solum nobis inde divinae providentiae ratio, sed ipsius etiam providentiae orbis, et circulus manifestissime apparet. Namque ipsa hominis conditio, qui immortali animo donatus non perit una cum hac luce sed in aeternum tempus est victurus, secum necessario afferre debet, ut orbis divinae providentiae et hanc, et futuram vitam complectatur, et eo vel magis, quod temporaria hujus vitae bona per se manca, et imperfecta nequeant infinitam illam felicitatis cupidinem, ad quam nos rapit natura, ulla ratione explere. At cum aeterna illa felicitas, ad quam ceu ad supremam metam ipse nos evehit Deus, summi

secus agere queat; ut cum ambulans docet Aristoteles, qui tamen poterat sedens docere, quia videlicet praeter summum bonum, quod plena, et perfecta causa est, qua posita tota rapitur voluntas, nullum est bonum, quod ex perfectionis defectu mali aliquid non habeat admixtum: qua ex parte via aperitur menti, ut consultet, quaerat, expendat, deliberet, atque adeo nullum aliud est bonum, cujus privatio, et amissio tantam animi molestiam pariat, ut ad illam expellendam tota animi commotio necessario conspiret; quo uno in casu objecti ratio satis per se est, ut totam rapiat voluntatem: uno verbo suus cuique finis, ad quem natura facti, et instituti sumus quia unus, et certus, necessarius est; media, quia plura, et ἀδιάφορα, sunt homini libera, et ejus juris. Libertas haec voluntatis cognita, et explorata nobis est, quia illam vivido sensu, constantique percipimus. Quo sane judicio nullum potest esse gravius. Si quis enim a me petat, num sim, num vivam, num sentiam; idque sibi probari velit; quid est, quod respondeam, nisi rem ita esse, quia ita id plane percipio? Igitur cum sentio, me libere velle, ac nolle, stare, ac sedere, tacere, ac loqui, revera ita est, sicuti sentio. Facultates reliquae extra nos sunt, assensio una est in nobis: unde illud veteris Comici monitum *si non potes, ut vis, fac velis, ut potes:* nec non illa Plaucii Laterani ad Epaphroditum Neronis Libertum responsio, uti est apud Arrianum *de serm. Epitecti lib.* 1. *n.* 1. *Siquid dicere vellem, dicerem domino tuo.* Hinc ratio omnis virtutis, et vitii, laudationis, et vituperationis, praemii, et supplicii.

illius boni possessio , visio illa , et fruitio Dei nullo jure fuerit miseris, et infirmis nobis debita mortalibus, eadem dicenda est futura praemium, et corona meritorum temporariorum, sine quibus nulla unquam futura erit felicitas . Aequum proinde fuit, ut ei, qui in hoc vitae stadio positus cursum virtutum omnium currere noluerit in illam beatissimae coronae possessionem pervenire sit denegatum .

Porro si meritum nullum esse potest, ubi electio libera non est; summae providentiae fuit, libera voluntate praeditos esse homines, qui aeterna felicitate essent pro meritis afficiendi. Neque si corona parta est nulla omni absque labore ,, si ,, nil nisi magno vitae labore dedit mortalibus ,, uti cecinit quidam, quo meliori modo consulere hominibus poterat Deus, quam ut, quaecumque adversa essent sensibus, quaecumque dolorem parerent, ea demum faceret veram materiam, ubi sese jactet ratio, ubi sese ostentet, ubi bonorum morum majorem copiam pariat, ubi bonis suis cumulum adiiciat, ubi honestatis, officii, decoris, laudis, veri uno verbo boni cornucopiam effundat ? Optime in hanc rem, Theodoretus ,, Paupertas, ajt, aeque, ac di- ,, vitiae tamquam materia quaedam est, et instrumen- ,, ta a rerum opifice hominibus proposita; homines ,, vero ceu fabri quidam sunt, qui per illa aut vir- ,, tutis simulacrum effingunt, aut malitiae statuam ,, exculpunt. Quid enim aliud vocemus meritum, quo beatitudinis coronam possumus adipisci, quam officia virtutis ? officia vero virtutis non secum afferunt aerumnam temporariam ? officia fortitudinis non postulant pericula ? officia patientiae non postulant res adversas ? officia tolerantiae non sternuntur in doloribus ? mitto caetera nemini non nota. ,, Ergo ,, sicuti bona innumerabilia data sunt homini, qui- ,, bus frui posset, sic etiam mala, quae caveret,

„ quia sapientiam dedit, cujus omnis ratio in discernendis malis, ac bonis posita est. Non potest enim quisquam eligere meliora, et scire quid bonum sit nisi sciat simul reiicere, ac vitare, quae mala sunt. Invicem sibi alterutrum connexa sunt, ut sublato alterutro utrumque tolli sit necesse. Positis enim tantummodo in conspectu bonis, quid opus est cogitatione, intellectu, scientia, ratione, cum quocumque porrexerit manum, id naturae aptum, et commodum sit „? Sic docte, atque eleganter disserit Lactantius *lib. de ira Dei c.* 13. (1) Quod si maxi-

(1) Plura consulto praeterivimus, ne libri moles, quod scilicet mihi erat justis de causis cavendum, nimium excresceret. Ea hoc loci addiderim clarissimorum virorum testimonia, quibus et humani generis de providentia sensus patefieri, et male sentientium hominum redargui possit error, qui noctuae oculis similes, dum meridiana in luce coecutiunt, in tenebris vident. Audiatur igitur in primis Poetarum facile princeps Homerus ille, ut habet Franciscus Petrarca *Saggio Pittor delle memorie antiche*, apud quem cum locupletissima prostent hac de re testimonia, tum praecipua sunt illa *Odiss.* XIV. v. 65. quo in loco inducit Pastorem Eumaeum Dei procurationi, ac fidei felicem rerum suarum eventum adscribentem.

. . . . *θεὸς δ' ἐπὶ ἔργον ἀέξει*
Ὡς καὶ ἐμοὶ τόδε ἔργον ἀέξεται ᾧ ἔπι μίμνω.

Deus auctat opus, velut omnia nobis
Aucta fovet, servatque (*Bern. Zamagna*)

et *Odiss.* II. v. 158., ubi Ulisses, qui lib. I. exire ex ogigya non poterat, nisi quo praecise tempore ejus in Ithacam reditum Dii ipsi paraverant, fatetur aperte, Deum multam sibi venatorum praedam concessisse. Immo ubique vigilem, ac minima etiam curantem exhibet Homerus Dei providentiam, dum et columbae vitae Iliad. XX. 495. providere, et sortes eum dirigere cecinit *Iliad.* VII. v. 170.

Λαοὶ δ' ἠρήσαντο, θεοῖσι δὲ χεῖρας ἀνέσχον
ὧδε δέ τις εἴπεσκεν ἰδὼν εἰς οὐρανὸν εὐρύν

mum providentiae specimen fuit, immortales hominum mentes arbitrii libertate donare, ut quo syste-

Ζεῦ πάτερ, ἢ ἄικυτα λαχῶν, ἢ τυ δέος ὕὸν γ
ἢ αὐτόν βασιλῆα πολυ χρύσοιο μυκλυίης.

. . . . Grajum anxia circum
Turba manus coelo tollebat non sine votis;
Atque aliquis sic, celsa tuens convexa, precatur;
Da, pater, Ajaci faveat sors, aut Diomedi,
Aut regi, ditis qui gestat sceptra Mycenis. (*Cunich.*

Iliad. autem xxiv. 553. duorum adhibita doliorum imagine per- belle describit divinae in homines providentiae consilium.

Namque Jovis duo sunt in limine dolia rebus
Nempe malis plenum hoc: illud melioribus; haurit
Unde, hominum generi tribuit quae munera cumque.

quam quidem providentiam a semita justitiae nunquam defle- ctere dixerat Iliad. 8. v. 78.

Tum pater auratas, aequato examina lances
Sustulit ipse manu magna, diversaque fata
Hinc Grajum, hinc Troum imposuit.

Homero mirifice consonat Hediosus Ascraeus, quos aliquo tempore eodem vixisse dubium non esse scribit Aul. Gellius ex sententia Varronis lib. 8. c. 11. cujus auctoritas tanta erat apud veteres, ut ipsius carmina tamquam Oracula, et ἀξιώματα quaedam communi sermone usurparentur. Nam ita exorditur (opera, et dies)

Musae ex Pieria, carminibut gloriam conciliare solitae
Adaste quaeso, dicete vestro patri hymnum;

Οἱ τε διά βροτοί ἄνδρες ὁμῶς ἄφατοίτε φατοίτε
Ρητοί τ' ἄρρητοίτε, Διός μεγάλοιο ἕκητι.
Ρεῖα μέν γὰρ βριάει, ῥεα δὲ βριάοντα χαλέπτει
Ρεῖα δὲ ἀρίζηλον μινύθει, κὴ ἄδηλον ἀέξει.
Ρεῖα δέ τ' ἰθύνει σκολιὸν, κὴ ἀγήνορα κάρφει
Ζευς ὑψιβρέμετης, ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει.

Per quem mortales homines pariter obscurique sunt, et clari
Nobiles, ignobilesque, Jovis magni voluntate.
Facile enim extollit, facile etiam elatum deprimit
Facile praeclarum minuit, et obscurum auget;
Facileque corrigit pravum, et superbum strenuat;
Jupiter altissonans, qui supremas aedes incolit.

mate divina virtus lucidissime apparebat; quo se infinita sapientia apertissime explicabat, quo denique

Decretorio quoque stylo scripserat Sophocles in elect. *est magnus*, inquiens, *in coelo jupiter*, *qui* inspicit *omnia*, *et imperat*. *Providentia nullum hominibus poſſibile est lucrum capere melius*, *neque mente sapiente*. Ovidius item, postquam rerum universitatem lib. 1. metamorph. Dei providentia fuisse hoc, quem cernimus, ordine dispositam cecinerat, inde sumit occasionem lib. 3. Amor. mortales hortandi, ut recte vivant „ vi„ ve pius, moriere pius „ rationem vero alibi reddens, ait

Nec secura quies illos, similisque sopori
Detinet, innocui vivite: Numen adest.
Reddite depositum, pietas sua foedera servet:
Fraus absit, vacuas caedis habete manus.

Virgilius etiam Eclog. 8. inquit

Nec curare Deum credis mortalia quemquam?

et Eneid. 1.

O qui res hominumque, Deumque
Aeternis regis imperiis, et fulmine terres!

et Eneid. 13. addit. per Maph.

Si genus humanum, et mortalia temnitis arma;
At sperate Deos memores fandi, atque nefandi.

Horatius pariter, omnia regi a summo Jove et gubernari canit lib. 3. od. 4. *Imperio regit unus aequo*. Videsis Valerium Flaccum lib. 1. *Argonaut.*, et Silium lib. 6., Manilium quoque lib. 1. Astron., et Claudianum lib. 1. in Ruf., et Latinos aeque ac Graecos Poetas Euripidem T. I. pag. 171., Orphaeum pag. 503., Musaeum pag. 703., Lycophrona pag. 148., Eschylum p. 668., et Aristophanem p. 422. omnes in eo convenire deprehendes, ut Deum statuant „ justitiae, re„ ctique dator, qui cuncta guber„ nat „ ut inquit Silius lib. 6.

Gravius est autem veterum hac de re philosophorum judicium. *Si Deus ipse se curat*, *cur tu sollicitus sibi sis* (ajebat Socrates apud Maxim. serm. de providentia); *idque unum cogitare verum esse*, *viro videlicet bono nihil mali accidere poſſe nec vivo*, *nec mortuo*, *nec unquam illius res a Diis immortalibus negligi* (*apud eumdem* Apol. Socratis) Quid vero divinus Plato? Nempe Deos . . . . . . scire. videre, audireque omnia . . . . eosque omnia poſſe, quaecumque mortales, immortalesque possunt . . . . . et nulla pigritia,

summa se bonitas plenissime effundebat; quo eodem ita humanis rebus prospiceretur, ut immortale meritorum praemium, immarcescibilem beatitudinis coronam possent homines obtinere: plane cornucopiam providentia effunderet suam, si quae mala pravus libertatis usus invexisset, ea vel compensare aequali bono, vel majori superare voluisset Deus: in quo et perfectissimae justitiae exemplar, et dulcissimae misericordiae expressio simul spectanda hominibus praeberetur; atque adeo intellectus ab ipso conditore tanti operis finis plenius, atque uberius haberetur.

nulla mollitia capi eos possibile . . . . . . Caveamus autem, ne Deum mortalibus Opificibus viliorem putemus . . . . . . Jam ergo sive parva haec, sive magna quis dixerit, Diis esse nullo modo . . . . negligenda sibi sua possessio est. Dialog. 10. de legib. Nec vero a suo magistro degener magnus Discipulus Aristoteles: eadem prorsus docuit sive lib. 7. Polit. cap. 4. sive lib. 1. Ethic. cap. 9. sive alibi. Jam vero tacitus praetereo Ciceronem et Senecam providentiae strenuos defensores, nec non Plutarchum, „ cujus est illa sententia *recte sensit* (Agesilaus) *absque providentia nihil geri in rebus mortalium, magisque fidendum divino favori, quam humanis consiliis, aut viribus*„ Plutarch. in Lacon., et ad Lenonem venio, Pythagoram, et Hippodamum, quorum una omnium doctrina fuit *absque harmonia divinaque mundi cura non posse, quae constituta sunt, in statu suo permanere*, apud Laert. lib. 7., et 8. pag. 811., ac tandem Apulejus „ in cogitationes omnium hominum (inquit lib. de mundo pag. 182.) penitus incidit . . . . Deum esse salutem, et perseverantiam earum, quas effecerit, rerum. Videsis quoque Theonem pag. 352., Heliodorum Aethiopic. lib. 4. Dionem Chrysostomum in Orat. pag. 242. Apollonium Tyanaeum epist. ad Valer. Itidem Dei providentiam demonstrant historici Scriptores. Herodotus lib. 8. Thucidides hist. pag. 148. Dionysius Halicarnasseus lib. 3. „ *Diis curae sunt res mortalium*; et lib. 3. *Deorum indignatio omnibus superbis imminet*. Athenaeus Deipn. lib. 2. Polybius lib. 11. pag. 213. Titus Livius lib. 3., et decad. 1. lib. 1. Tacitus annal. lib. 1. *Dei injuriae Deo curae sunt*. Postremo coronidis loco sit illud prorsus aureum Xenophontis Memo. ab. lib. 1. pag. 728. „ *Numen tantum, ac tale esse, ut omnia pariter videat, et audiat omnia, et ubique adsit, et pariter omnium curam gerat*.

Atqui haec res, quae res facti est, totaque ad historiam pertinens, tot, ac tam illustribus testimoniis, et ad convincendos animos manifestis, ac certis rationibus adstruitur, ut de ea vel dubitare sit impudentis. Quo tandem vero, tamque ingenti bono? una illa unione hypostatica, per quam Deus creatis rebus infinitum bonum addidit, cum neque praesentes, neque possibiles creaturae eo tandem mali sint venturae, ut plane infinitum malum commisserint. „ Atque hoc caput est, uti eleganter disputat Theodoretus *de providentia orat.* 10. „ longe praecipuum „ divinae in humanum genus providentiae. Non enim „ immensam bonitatem illius sic ostendit coelum, „ et terra, mare, sol, et luna, sidera, atque uni- „ versa denique creatura, tam quae videri potest, „ quam quae videri non potest solo verbo condita, si- „ ve potius solo nutu voluntatis per verbum in me- „ dium adducta; quemadmodum unigenitum Dei Fi- „ lium, qui in forma Dei extabat, splendorem gloriae, „ figuram substantiae, qui in principio erat, et apud „ Deum erat, et Deus erat, per quem omnia facta „ sunt, suscepta hominis forma in similitudinem „ hominis esse factum. „

Atque haec quidem omnia, quae nobis provisorem sapientissimum Deum etiam in hac obscuritate humani ingenii, quasi intento digito, ostendunt, eo etiam manifestissime pertinent, ut illum ipsum rerum omnium sapientissimum Moderatorem, non possimus non agnoscere aequissimum Legislatorem in hac veluti civitate universae naturae humanae, quam ille profecto non impetu bruto, non libidine despotica regit, ac moderatur, ne ab infinita sapientia sua, neve a summa ipsius clementia, ac bonitate desciscere videatur. Quare qui sequitur liber, is bono in lumine collocatam totam naturae legem a Deo dictam explicabit.

LIBER TERTIUS

DEUS EST LEGISLATOR.

Quamquam res conditas universas Supremi Numinis Providentia suis quasque nectat ordinibus, propriaque incommutabilitate coerceat, ne quid a suo, quem praecognitum habuit Deus, fine deflectat; nec uno tamen, nec eodem istud modo providum naturae totius Conditorem Deum perficere perspicuum est. Nam rebus istis quidem caducis, et mortalibus, quae coecae per se, et in interitum precipites nec sui sibi status conservationem prospicere, nec ordinem servare ullum novissent, ne perimantur universae, neve earum saltem species aliqua, et natura concidat, neve singulae temere vertantur, et sine rectore, inhaerentem quamdam, et fixam, et, ut Boethius diceret, fatalem tribuit dispositionem; animis vero immortalibus, et perpetuis, quorum propria est veri inquisitio, et inventio, quique maxime sentiunt, quid sit ordo, quid sit, quod deceat in factis, dictisque, qui modus; legem quidem, qua ne quid Homines libidinose aut facerent, aut cogitarent, impressit indelebilem; nulla tamen indeclinabili necessitate eorum ligavit voluntatem, ut arbitrii libertate ad suum sibi finem per mediorum electionem comparandum fruerentur. Haec quidem divina est cum physici, tum moralis optimi hujus ordinis oeconomia. Verum ne potius, quam firmare rationibus, mihi istud verbis sumere videar; nulla interposita mora, rem ita, uti dicebam, se habere operae pretium arbitror demonstrare. Quoniam vero in praesenti de statis, et cognitis jam peculiaribus materiae legibus nihili nostra interest noscere; moralis ordinis legibus, suis veluti cancellis, nostra circumscribetur Oratio: in qua duo haec potissi-

mum statuo, et suam scilicet Deum liberis hominum mentibus legem indidisse, et liberam hominum voluntatem ea ad ordinem servandum lege obstrinxisse: quibus ex capitibus tota, quam late patet, humanorum officiorum ratio, visque efflorescit.

Sit igitur hoc jam a principio persuasum nostris hisce Philosophis, dominum esse omnium rerum, ac moderatorem Deum, eaque, quae gerantur, non sine ejus cognitione ac Numine juvante geri, eumdemque optime de genere hominum mereri. Sit illud praeterea alta mente repositum, quod sua cuique suadet intima experientia, quodque Thebanus ille Cebes graphice describebat *in Tabula*, nobis in vitam ingredientibus si minus errorem fuisse propinatum, ac certe inscientiam, quorum scilicet veluti proprium patrimonium est ignorantia; variisque, ac multiplicibus affectibus circumstipari, ac tamquam γυναιξὶν ἑταίραις deliniri, quarum et vim sustinere, et insidias eludere et labor, et opus est. Quid igitur? Satis per se res ipsa clamat, pessime Deum in hoc rerum ordine meriturum de humano genere fuisse, nisi rectorem certum, ac tutissimum praesidem hominum cuilibet adjunxisset comitem, qui et veritatis comiter monstraret viam, et Sirenas illas quoquo modo declinare doceret. Quem nisi dedisset, nec providus esset Deus, nec Deus esset. Quare nisi Deum tollimus, et stipitem nobis pro Deo effingimus, omnino probandum est, humanae naturae amantissimum, ac sapientissimum Provisorem, eo homines beneficio cumulasse: Quem vero facimus a Deo hominibus datum τὸ δαιμόνιον (Genium) Magistrum, et ducem? Rationem scilicet: quam sequi, et cui nolle parere, in Deum peccare putandum est.

Ratio siquidem est, qua ad Deum usque pertingimus, eumque non rerum omnium molitorem modo, non solum sui ipsius operis providentissi-

mum custodem conspicimus, sed intuemur etiam eamdem illam, quam ipse Deus sequitur, aequissimam suorum operum, rectissimamque normam, ac regulam, supremam, et aeternam Rationem. Qua semel conspecta, quid est, quod jam veri, et recti, justi, et honesti ratio, ac natura nos lateat? Ut enim Lydius lapis auri rationem, ac naturam notat, et, quidquid adulterinum, et ad auri similitudinem conflatum est, colore detegit, ac segregat, ita illo rerum immutabili ἀρχετύπῳ exemplari verum a falso, justum ab injusto, turpe ab honesto noscitur, et secernitur. Porro illud controversia caret, res hujus mundi universae, quod sint imagines illis aeternis exemplaribus simillimae, veritatis proprium exhibere characterem. Est enim vel absonum dictu, aeternam illam Mentem, et Rationem, infinita vi, et scientia praeditam, Deum, quem nec fallere quidpiam, quique falli non potest, non res singulas condidisse germanis, et propriis, et quae ad earum rationem, et naturam constituendam necessariae essent, praeditas conditionibus. Neque vero minus et certum, et perspicuum est, supremam ipsam Rationem, quum naturas istas essentiarum gradibus distingueret, quippe quae nihil temere poterat moliri, ob id ipsum rei unicuique, quod eidem ad usum, vel fructum conveniens, et consentaneum fuerat, tribuisse; sicque ad finem, actionemque suam singula quodam quasi pondere traxisse, ac direxisse: in quo cum Ordinis, tum boni ratio omnis spectatur. Atque hinc sane est, quod omnes hujus ordinis res et verae simul, et bonae sint dicendae; verae quidem, nam aeternis divinae mentis exemplaribus apprime respondent, bonae vero, quandoquidem nec faciliori, nec tutiori, nec pleniori modo Creatoris finem consequi possint, tantaque earum sit perfectio, ut divinam ipsam sibi mereri queant supremae rationis approbatio-

nem. Atqui ratio humana eam inde habet, detegitque regulam, qua possit in contemplando verum a falso, in agendo bonum a malo secernere. Nam quod ad verum attinet, cum ea sit hujus providentiae ratio, ut mens corpori copulata res istas corporeas per quasdam solummodo imagines videat, quae naturali quidem, nobis tamen ignota ratione cerebro tamquam in speculo depinguntur, verti in dubium non debet, veras illas esse rerum earumdem imagines, fideliterque sua nobis exemplaria et ubique, et semper exhibere. Quae siquidem imaginum, sive idearum cum rebus istis vel semel deerit convenientia, Naturae hoc vitium fuerit, hoc est sapientissimi humani generis Provisoris, quod Philosophorum aures audire refugiunt. Equidem non sum nescius, remum in aqua fractum, turrim, quae quadrata surgit, rotundam apparere eminus conspectam, et alia hujus generis plurima, quae sensuum illusiones dici consueverunt. Atqui ea est naturae lex, ut non alio modo ea per se possint apparere; tamque constans, et firma, ut eodem semper modo iisdem sub circumstantiis sese intuentibus offerant; ergo si nihil unquam mentita sit natura, illa remi imago, turris species illa non potest non convenire cum suo exemplari iis sub circumstantiis constituto. Neque falsa propterea dicenda imago est, quod situ earum rerum, quas intuemur, mutato, et intervallis aut contractis, aut diductis ipsa mutetur imago. Immo vera hoc ipso imago putanda est, quia circumstantiis, et modo, quo exemplaria intuebamur, mutatis, non eadem illorum nec semper, nec ubique imago conspicitur. At si sensus, qui ut accipit visa, ita rationi repraesentat, nullatenus erret, errat profecto ille, qui imagines, et ideas, quas phantasia exhibet in praesentia rerum sic instituente Natura, non esse externis exemplaribus suis conformes existimat. Est aliquis, qui Optices disciplinas vel a limine salutarit, quem lateat, lucis radios,

quum angulum in retina efformant minutis secundis duobus minorem, non posse objectum exhibere nobis conspicuum? Erat ergo necesse, ut quadratae turris anguli sub ea ratione conspecti ab oculis evanescerent; atque adeo necessum erat, ut turris illa ita conspecta non suam, sed rotundam figuram referret. Quod si radii lucis refracti non eo modo, quo reflexi solent, obiectorum exhibent imagines: qui poterat remus, quem lucis reflexio sanum, integrumque repraesentat, non ruptus, non fractus lucis refractione repraesentari? Quod cum de coeteris valeat, mihi concludere licebit, quemadmodum res conditae universae aeternis divinae mentis exemplaribus perfectissime respondent, hoc est verissimae sunt, ita imagines, quas nobis res istae ingerunt, esse rebus ipsis similes, et conformes; atque adeo veras. „*Ita est maxime*, ajebat Lucullus apud Ciceronem in Accad. 4. cap. 7., *in sensibus veritas, si et sani sint et valentes, et omnia removentur, quae obstant, et impediunt*. Ille vero ipse Naturae parens, qui et res hujus ordinis statuit, et de earumdem nos praesentia per suas earum imagines nescio quo pacto certiores reddit; signum quoque, κριτήριον menti praelucere voluit, vividum quemdam sensum, et ita expressum, ut ipse sibi fidem faceret sui judicii. Quo monstrante certo scimus inter ipsas, quas corpora immittunt, imagines distinguere, et veri vanas illas, ac volucres species, sive φαντάσματα, quae nos dormientes qua jucunde, qua moleste tenent, lucis, et diei pariter, ac rati, et constantis ordinis inimicissima somnia. Ita sane fit nobis manifesta regula veri, quam hujus Mundi Conditor in communi hac hominum, et pecudum domo fabricanda sequebatur; qua et corporeas istas substantias aeternorum exemplarium veras, et perfectissimas imagines novisse, et a mendaci quolibet, ac falso earum simulacro secernere ipsa nos docet Natura. Quam quidem regulam ho-

minum subdere arbitrio, idem sit, ac aeternum tempori, rectorem recto, et hominum ingenio Dei ipsius supremam subdere rationem. Hac porro eadem regula principio constitutae a Deo corporibus fuerunt et qualitates, sive certae illae quidem, et constantes, singulisque corporibus communes, sive variae, et mutabiles, atque aliae aliis corporibus propriae; et vires, quibus sibi suum statum aut retinere, aut invicem possent immutare; et leges denique, quibus virium actionem determinare Provisori sapientissimo libuit, et totam hanc Mundi molem regere, illiusque ratum ac fixum ordinem servare. Quae dum cognoscuntur a nobis, tum rerum nos assequi veritatem perspicuum est. Quo facile intelligi potest, quam scite, ac recte doceant Philosophi, experientiam esse rerum magistram; quippe qua una et rerum modos, proprietatesque, tum vires quoque, et quibus vires continentur, leges addiscimus, et distinguimus accuratissime. Quo certe nullum est subsidium veritatis detegendae aptius, atque securius. Dum enim experimur, ab iisdem corporibus sensiones semper alias aliis similes gigni, nullus dubitationi locus relinquitur, quin cogitationes nostrae cum rebus, de quibus cogitamus, conveniant. Quam convenientiam veritatem dicebamus. At quoniam pleraque sub humanos sensus minime caderent; ea quoque nobis prcvido consilio tributa a natura est cognoscendi facultas, qua plures simul ideas nobis exhibere praesentes, easque conferre inter se mutuo, et latentem inde veritatem elicere scimus. Fit ista collatione idearum, ut mens ingenito sibi lumine illico per se detegat, utrum eae sint sibi mutuo similes, utrum dissimiles, eaedem, an diversae, num causae, num vero effectus, an tandem principia, an consequentia sint. Jam vero quas ideas noscit similes, relationis natura cogente, eas mens nectit, et quas sejungit, eas dissimiles intuetur; item quae diversa, et varia

detegit, illa nullam τῆς ταυτότητος identitatis speciem praeseferre probat; nusquam effectum spectans, causam se spectare judicabit; nec consequentia perinde ac si principia forent, tenere unquam mens potest. Sic enim mentes hominum comparavit providus Artifex Deus, ut, cum ex una parte varias, multiplicesque hujus ordinis sive naturas, sive naturarum habitudines intuendas illis offerret, cogeret ex altera perspicuitatis vi, ut ne se ipsi homines deludere possent, et fallere. *Necesse est enim*, inquit Tullius, *ut lancem in libra ponderibus impositis deprimi, sic animum perspicuis cedere*. Et Accadem. 4. c. 14. *Perspicuitas satis magnam habet vim, ut ipsa per sese ea, quae sint, nobis ita ut sint, indicet*. Quo sane indicio, seu κριτήριῳ, quod evidentiam passim dicimus, verum a falso adeo discimus internoscere, ut alterum ab altero secernere veluti ad manum habeamus. Hāc igitur via, ac ratione ideam nobis substantiae cudimus, hac vires, sive δυνάμεις naturae cognoscimus, hac legum, quibus Providentia hunc rerum universitatis ordinem tectum, sartumque continet, cognitionem colligimus, hac denique non modo existentes, sed res quaslibet etiam possibiles intelligimus; quin hac ipsa ratione summum quoque Mundi opificem quodammodo inspicimus, et mentis acie certius, atque securius, quam ipsis oculis intuemur. Hinc manant propositiones illae universales; hinc tot, tamque utilia, atque foecunda principia, quae ob ipsam eorum dignitatem ἀξιώματα dicere suevimus, voce a Graecis sapientibus mutuata. Huic ortum debent suum scientiae, ac disciplinae, Mathematicae potissimum, quarum materies (vulgo objectum) tota quanta est, in abstractis quantitatis notionibus versatur. Ac ne modum quidem, quo ista a mente perficiantur, intactum prorsus omittamus; luce clarior res est, nos, quibus negatum est, corporeas istas Naturas ultra superficiem, et corticem sensoriis or-

ganis introspicere, vi mentis, ac lumine subito intelligere rerum vel modis, vel actionibus inter se comparatis, quiddam necessario requiri utrorumque subjectum; quandoquidem et nihili nullae queunt esse affectiones, et rerum modi rebus iisdem manentibus saepenumero variant, atque labuntur. Quae subiecti, sive substantiae generalis notio, et si non intimam nobis aperiat rerum singularum constitutionem, atque, uti ajunt, essentiam; id tamen commodi praestat, atque emolumenti, ut cum securius in rebus plerisque singularibus investigandis, et in tradendis disciplinis facilius, et illustrius procedere, tum maxime ab horrendis illis monstris cavere doceamur, quae Spinosae potissimum commenta mathematico pulvere conspersa invexere. Quae quidem vires, atque substantiae cum non temere ferri, sed ratis quibusdam, stabilibusque motibus, concordique varietati quamvis natura discordes sint, atque contrariae, obtemperare continuo perspiciuntur; quid aliud nisi legum ideam nobis observantibus suppeditant, a quibus permanenter reguntur, et gubernantur? At vero cognita rerum existentia certissime, ac planissime res possibiles definiuntur. Nimirum mens humana, sumpto e rebus fundamento, vel addendo aliquid, vel demendo, aut novas quasdam sibi cudit naturas, aut naturas easdem novis quibusdam vestit qualitatibus, et modis, quae etiamsi nullibi in edita jam natura existant, nihil tamen impedire posse intelligitur, quin ea potentia, et vi, qua haec rerum universitas condita est, illae pariter, si modo Deus voluerit, condantur. Nam si nulla res nec vim divinam vincere, nec aequare, proindeque nulla queat a Conditoris Omnipotentia se subtrahere; quaevis idea, quae rem nobis exhibeat, atque repraesentet, versari circa objectum oportet, quod cum fugere divinam Omnipotentiam nequeat, ob eam rem fieri a Deo aliquan-

do possit existens . Quapropter id unum divinae Omnipotentiae objectum fore negabam , quod nec concipi ulla ratione potest, merum, et putum nihil, mera, et absoluta non res . Quo spectant propositiones, quas Logici implicari contradictionem dicunt,quia scilicet ejusmodi propositiones rem simul ponunt, et non rem, dum quam rem posuit propositionis subjectum, eamdem destruat praedicatum, quod dicere contradicere est, et invicem pugnantia loqui. Jam qui fiat, ut rebus sive extantibus illis quidem , sive possibilibus mens ideam, notionemque Dei eliciat, et priori libro enucleavi, et hic denuo breviter propono : nempe cum inter res conditas , et quae condi possunt universae, necessaria intercedat relatio, sive connexio quaedam cum suo earum conditore, non secus ac effectus cum sua ipsorum causa, et cum antecedentibus principiis necessario consequentia connectuntur; mens, quae sentiendo res hujus universitatis , novit miro artificio elaboratas , labiles item, et finitas; quae observat eas contrariis invicem viribus pugnantes , et tamen ita concordes, ut ex mirabili earundem harmonia constans quidam, et perpetuus ordo , et tanta Mundo pulchritudo accedat ; eam detegit ratiocinando supremam mentem, atque rationem, cujus et consilio, et voluntate, et vi Mundum, et omnes Mundi partes et initio constitutae sunt, et omni tempore administrantur. Non enim, qui ratiocinio utitur, nihilo, aut casui ipsi, qui idem ac nihil est , potest ullam tribuere efficientiam. Quo sane rerum omnium principio detecto quam multa , quam praeclara, quam utilia cognoscantur a nobis face rationis , facilis investigatio est . Oportet nimirum omnia , quae sunt, oriri ab illo, cum sit caeterorum principium ; cuncta vero ipsius subdi imperio , a quo et primitus creata sunt, et deinceps conservantur; nec quidpiam posse ordinem fallere eum , qui ini-

tio constitutus ab ipso est; naturam proinde, quo vocabulo saepe ipsam cuncta regentem intelligimus sapientissimi Numinis providentiam, nihil incassum agere, neque ad eam unquam metam movere gradum, quo pertingere demum sit impossibile; atque idcirco nihil esse sine causa, et quidquid est, quamdiu est, non posse non esse; et sexcenta alia. Denique quantus sit rationis usus in omni vita significavit Menander in Imbriis apud Stobaeum Flor. tit. 3.

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν ἐν ἀνθρώπου φύσει
Μεῖζον λογισμοῦ. τῷ διαθέσθαι πράγματα
Ἕκαστος ἐστιν, καὶ λογίσασθαι κατὰ τρόπον,
Ἄρχων, στρατηγὸς, ἡγεμὼν δήμου, πάλιν
Σύμβουλος. ὁ διαφέρων λογισμῷ πάντ᾽ ἔχει.

Nihil est in humana vita
Melius ratiocinatione. Ordinando res
Et recte ratiocinando unusquisque est
Princeps, ductor exercitus, ductor populi, praeterea
Consiliarius qui ratiocitatione praestat, cuncta obtinet.

Haec eo tendunt omnia, ut ab ovo demonstratione ducta usque ad mala evincant, quum Deus rationis suae modulis hanc rerum universitatem conderet, rationi hominum parasse regulam veri. Quare si neque res conditae, neque earum variae, et multiplices habitudines, quibus, tamquam annulis haec rerum omnium catena ad hunc spectabilem ordinem efformandum colligatur, sunt ab homine, nec humano subsunt imperio; sui compos non est, qui aut nullam esse veri regulam, aut pro lubitu variam, aut ex pacto, et convento mutabilem propugnat.

Quoniam autem non res tantum conditae, sive existentes, sed quae condi etiam possunt, sive possibiles, sunt humanae cognitionis obiecta; ut est necesse possibilium quoque regulam, qua verae nec ne sint detegatur, inquirere; ita frustraneum esset,

heic illam in isto rerum ordine, cum nondum conditae ponantur, quaerere. Quocirca res possibiles unam mentem afficiunt. Mens autem totam supergrediens naturam ad causarum omnium causam summam, et omnipollentem, et creatricem pertingit. In hac suprema causa omnium possibilium regulam intuetur, et hanc regulam contemplando verum a falso res inter possibiles discernit, et segregat. Videlicet Deus, cum sit ipsa naturae suae necessitate (quod liber primus probat) summa essentia est, id est summe est, omnesque natura, eaque sua eminenter comprehendit possibiles essentiae gradus. Ergo quidquid potest esse in principe illa essentia, ac eminentissima natura essentiae suae rationem originariam, atque causam invenit. Ex quo conficimus, eorum, quae esse possunt, sive possibilium regulam externam esse ipsam Dei virtutem, atque potentiam. Id autem tam pronum nobis est intelligere, quam facile intellectu est, quae vis huic rerum universitati esse dedit, eamdem posse aliis quoque rerum ordinibus existentiam tribuere. Hujus quoque generis veritatis tesseram, sive κριτήριον praelucere menti voluit Deus, evidentiam nempe, per quam quae possibilia sunt, statim ipsa per se apparent, nec aliter apparere possunt. Haec hactenus de regula eorum, quae vel sunt, vel esse possunt extra mentem; nunc in ipsam mentem descendamus, quae sit ejus regula, quaesituri. Mens hominis, quae inter res creatas facile primas occupat partes, non aliunde existentiae suae cognitionem, quam ex intima sui conscientia haurit; quae quidem conscientia, sive sensus intimus est et criterium internarum affectionum cogitationis, doloris, voluptatis. Nemo reipsa dubitare potest, qui clare, firmeque percipit se cogitare, dolere, laetari, num revera cogitet, doleat, laetetur, sed ipse sensus intimus assensum exprimit etiam ab invitis.

At quaenam tandem hominibus norma, et regula proposita, ad quam sensus iste intimus relatus fallax necne sit deprehendatur? Paucis dico, mens sibi ipsa est regula, et ingenitum illud mentis lumen, quo et se, et cetera videt. Etenim si reliqua omnia, quod ad normam aeternorum exemplarium condita, sunt vera, ita ut ipsa evadant nostrarum idearum exemplaria, et regula, a quibus si vel hilum discrepent, ideae sunt falsae, evidens est, mentes quoque hominum ad imaginem Dei factas ab eadem illa aeterna regula, et exemplari non posse desciscere. Quare quum mens ingenito sibi lumine seipsam intuetur, seque tactu quodam intimo sentit, et ipsa sibi conscia est, cognoscit se quoque aeterni exemplaris imaginem vivam, atque germanam, quo fiat, ut ob suam cum exemplari perfectissimam convenientiam habeatur veluti sensibilis norma, et regula. Quo in genere sensus intimus et criterium simul, et regulam constituit internarum animi affectionum. Sed hoc quidem criterium (neque enim, quasi non noverim, simulabo) significat eas esse; quid sint, aut quomodo fiant, non patefacit. Satis, opinor superque haec sunt, ut illud, quod probare exorsus fueram, constare tandem possit (nam de regula Fidei, quae non hujus loci est, non loquor) nobis ubique praesto esse regulam, qua possimus verum a falso in contemplando secernere. Quid vero quod hac eadem regula bonum a malo in agendo distinguimus? *Justum nempe quid est, nisi verum in moribus?* inquit Polignacius lib. 9. v. 295.

Id autem, ut facili ratione perspici possit, paullo interius mentem adeamus oportet. Principio itaque ut nobis innata est ratio, ut innati sunt sensus, ita est nobis ingenita libera voluntas, ut sunt appetitus ingeniti, eo ferme pacto, quo ipsi non fecimus aut aures, aut oculos, caeteraque, quibus utimur, sensuum instrumenta, sed nobis fuere natura

tributa. Jam vero sicuti neque sensus excitantur, nisi corporis organis quavis ex causa commotis; neque ratio, nisi plures simul ideae sibi coram, et praesentes sistant, eas potest inter se conferre, nexumque, et ordinem, quo ingenerantur, sive conjungendo, sive alias segregando, immutare; ita nec potest voluntas inter plures agendi modos ex aequo possibiles eum, qui ad finem sibi propositum consequendum conducat, eligere, nisi habeat in promptu regulam, a qua dirigatur; quaeque ea dictet, quae facienda sunt, prohibetque contraria. Quo sane spectat, si bene video, vulgatum illud Scholasticorum effatum, et coecutientem esse voluntatem, et ab intellectu dirigi: quod nescio, quo jure quidem hodie reprehendant, nisi forte innovandi prurigo hoc etiam habeat, ut hodie vim juris aequirat. Per me certe stat, si modo in sensum ab illorum mente alienum non trahatur. Intellectus porro praeter veritates illas, quae nihil docent agendum, sed totae ad contemplationem pertinent, quasque propterea θεωρητικὰς nominant Graeci, eas quoque detegit veritates, quae aliquid aut faciendum dictant, aut non faciendum, quas item graeco vocabulo πρακτικὰς appellamus. *Omnis cogitatio*, inquit Tullius, lib. 1. de Offic., *aut in consiliis capiendis de rebus honestis, et pertinentibus ad bene, beateque vivendum, aut in studiis scientiae, cognitionisque versabitur*; et Polignacius loco citato:

„ Namque satis non est, res ut sunt, mente tueri:
„ Praecipue factis homines sumus.

Hujus generis veritates, quae homini praescribunt, qui modus sit ipsi tenendus, ut ad intellectum finem perveniat, ipsae sunt regula agendi, quam si sequemur ducem, nunquam aberrabimus; sequemurque et id, quod bonum, et naturae nostrae conveniens est, et id quod justum et rectae rationi consentaneum, et id, quod honestum natura; quod etiamsi a nullo laudetur, etiamsi nobilitatum non sit, laudabile natura

est. Quae tria, ubi fuerint a nobis explicata, et rationum momentis, si opus fuerit, firmata, esse legem, quam naturalem dicimus, a Deo dictam hominibus demonstrabunt.

Itaque naturam istam attentius contemplanti constans, et perpetua monstrat experientia, cum heic esse rerum inter se omnium nexum, et ordinem, ut communem omnium finem, ac generale quoddam bonum indicent, in quod fines omnes, bonaque omnia particularia refundantur, quorum appetitione unum quodque ad agendum excitatur, et allicitur. Nam. 1. animadevertimus, singulas quasque naturas et suis praeditas esse partibus, sive organis ad certas impressiones, vel producendas, vel recipiendas idoneis; et organis adjunctas ad eorundem actionem, vel usum habere appetitiones, sive propensiones, et ὁρμάς, quae duo sunt satis, ut de naturali cujusque rei facultate aperte dijudices. 2. Cuilibet facultati certum, et sibi conveniens respondere obiectum, in quo tamquam in materia sibi propria ejus actio versari, vel quod valeat suis impressionibus veluti pungere, et solicitare facultatem, et ad quam facta est, et in quam fertur, actionem, vel usum determinare: ex qua mutua facultatum, et obiectorum connexione unaquaeque res habet, unde finem, ad quem natura dirigitur, et movetur, possit adipisci: 3. Naturas istas essentiarum quoque gradibus esse distinctas, atque alias aliis esse perfectiores. Fit inde, ut cum res singulae secundum speciem suam suum peculiarem finem, a quo deflectere, et praeter quem operari nequeunt (nec enim quidpiam Natura potentius est) et suum peculiare bonum fuerint assequutae; perinde ac si in communem finem, et generale bonum refunderentur, spectabilem hunc, et pulcherrimum universi ordinem concinnent, ex quo et constantia, et tanta Mundo accedit venustas, quae mirum in modum intuentium

F

oculos recreat, delectat, mirabilesque excitat amores; quibus dum homines ad imitationem, et conjunctionem quamdam pertrahuntur, et scientias, et artes et liberales, et mechanicas invehere; et certatim student perficere. Fac modo hunc Naturae ordinem, quem naturae Sator Deus conservari legibus jubet, vel ad horam turbari, et sus, deque cuncta ferri, ac misceri: nihil jam se, propietates, suique statum tueatur, omnia praeter suum naturalem finem operentur, omnia ab illo deficiant, tanta uno verbo, rerum confusio inducatur, quantam nec animo complecti queas. Mox rationem adi, et num illum ordinem, an hanc rerum omnium perturbationem approbet, commendet, nobilitet, consule. Sed quis consultationi locus in re manifestissima? inquis. Nam si recta ratio, si a vero directa est, quidquid rerum fallax est, quidquid nec convenientiam, nec ordinem redolet, quidquid et modum; et certos excedit fines, quos ultra, citraque nequit consistere rectum, profecto magis esse dictabit contra Naturam; quam mors, quam dolor, quam caetera generis ejusdem; nihil adeo magis injustum; nihil; a quo abhorreat magis: tantum aberit, ut illud approbatione, laude, nobilitate dignum existimet. Rectissime, et quidem ista duce errari nullo modo potest. Quid igitur vetat, ut ratio vi illa sua generale istud statuat principium „ justum esse ut omnia „ suo in ordine contineantur, ut sint omnia quam „ ordinatissima? Nihil profecto, ajs, immo nihil optandum magis. Nam ubi regula isthaec viguerit, aufugient statim confusio, inconstantia, error, injustitia, et aliae ejusmodi pestes. Jam num istud verissimum principium, generalem hanc regulam ad hominum actiones transfer, et accomoda; eaque regula, ut cetera solebas, ita et mores metitor. Ergo ita colligere peterimus; quaelibet actio hominis, quae cum hac regula conveniat, quae nempe sit Naturae rationali

convenienter facta; non solum recta, et justa, sed etiam bona, et honesta habenda est. Recta sane: nec enim potest a rectitudine ullo modo recedere, quod cum regula congruit; a qua omnis rectitudinis ratio petitur: justa itidem; nam est necesse, ut rectae rationi sit congruum, quidquid congruum est regulae, unde recta efficitur ratio: rursus bona illa actio erit, quippe quae debeat fini hominis naturali conducere, cum sit humanae naturae conveniens, et consentanea: quam tandem et recti, et justi, et boni formam, et tanquam faciem ubi semel actio induerit, non potest, quin sua quadam nativa venustate eorum, quibuscum vivimus, approbationem exprimat, ejusque auctori et laudis, et proemii decus conciliet. Est enim inditus nobis, et plane insculptus sensus iste, ut id magnopere probemus, quod ita esse factum ratio suggerit, quemadmodum res ipsa, reique ordo poscebat; non secus ac non possumus non animi voluptatem concipere, cum veritatem, cujus appetitione animus allicitur, et trahitur, nactos nos esse sentimus; tum enim tranquillitas animo oriatur est opus, cum ille quiescit stimulus, quo in veri inquistionem nos adigit natura; qui tum denique quiescit, cum primum, quod tam anxie quaesierat, animus obtinet. *Omnes trahimur*, inquit Cicero lib. 1. de Offic., *et ducimur ad cognitionis, et scientiae cupiditatem, in qua excellere pulcrum putamus; labi autem, errare nescire, decipi, et malum, et turpe ducimus*. Et paullo inferius, *ut enim*, ait, *pulchritudo corporis apta compositione membrorum movet oculos, et delectat hoc ipso, quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt; sic hoc decorum, quod elucet in vita, movet approbationem eorum, quibuscum vivitur, ordine, et constantia, et moderatione dictorum omnium, atque factorum*. Jam ergo quemadmodum per regulam veritas decernitur, et veritas rationem dirigit, ita rectitudo actioni,

quae inde sequitur, veluti sigillum cerae, impressa illius bonitatem, et honestatem constituit. Quod non obscure Alcinous significabat, dicens „ (1) *cum vero duplex sit vita, altera, quae in contemplatione,* „ *quae in actione versatur, altera; praecipuum contemplatve munus in veritatis cognitione consistit, sicuti activae in actione eorum, quae dictat ratio: Quare primaria vita contemplativa est, secundo post hanc loco, et quasi necessaria, activa.* Clarius etiam, et pressius Aristoteles, *quod verum, inquiens, aut falsum in intellectu est, id bonum, aut malum in voluntate evadit.* τ' ἀληθές, ἢ τὸ ψεῦδες ἔν τῇ γνώσει; ταυτὸ ἢ τ' ἀγαθὸν, ἢ τὸ κακὸν ἔν τῇ θελήσει. Et Polignacius

. . . . Omnis ab uno
Lumine vivendi petitur modus, atque sciendi.
Quod mentem in justo posset si fallere nostram;
Falleret in vero. Sed nusquam Regula fallit.

Quae cum ita sint, equidem mirari vehementer soleo, qui fiat, ut haec, quae planissime per se, et evidentissime ostendunt, quantum inter virtutem, et vitium sit a natura positum discrimen, scilicet quo majus excogitari non potest, ita a nonnullis, qui se dicunt, et videri volunt Philosophi, hodie tractari, quasi per se media, et ἀδιάφορα forent, quaeque possent pro arbitrio, et opinione, varia constitui, atque immutari. (2) Isti si quid unquam recogitarunt, intelligant est opus, res hujus Mund

(1) Cap. 2. διττοῦ δ' ὄντος τῦ βίυ, τοῦ μέν, θεωρητικῦ, τοῦ δὲ πρακτικῦ, τῦ μεν θεωρητικῦ τὸ κεφάλαιον, ἐν τῃ γνώσει τῆς ἀληθείας κεῖται. τῦ πρακτικῦ δὲ, ἐν τῷ πρᾶξαι τὰ ὑπαγορευόμενα ἐκ τῦ λόγυ. τίμιος μὲν δὴ ὁ θεωρήτικὸς βιος, ἑπόμενος δὲ καὶ αναγκαῖος, ὁ πρακτικός.

(2) Si quelqu'un, dit Shastçbury, donnant des leçons de Musique, posoit pur principe, que la mesure, ou que la regle de l'Harmonie n'est, que caprice, que volontè que Quinte, ou que Mode, il n'est pas fort vraisemblable qu'on l'écoutàt avec beaucoup d'attention, et

universas, quamobrem non eadem omnium est natura, multiplices inter se mutuo essentiarum differentias importare, non pro lubitu varias, non libidine mutabiles, sed nihilominus quam mundus ipse, ratas, et fixas; quia vero essentiae illae sint gradibus quibusdam distinctae, atque ordinatae, certas quoque ab invicem rationes, relationesque inducere, quae separari ab illis, et a statis circumstantiis nulla ratione possunt. Quomodo igitur homines, qui essentiales istas percipiant, metianturque differentias, qui sentiant, qualis eorum sit ordo, sibi in animum inducant, actiones hominum, quae cum hisce et naturis, et relationibus, et circumstantiis apprime conformatur, non vere, non sua natura, non semper esse conformes, et quae ab iis discrepant, non reipsa, non necessario discrepare? An vero in isto rerum omnium ordine nos, qui soli ordinem sentire possimus, extra omnem naturae finem sine lege vagari, ordinem pro libitu violare, et quidquid confusionis, et inconstantiae est, nobis solis fuerit naturale? Non ita certe philosphatur doctissimus Polignacius, qui citato in loco ita rem colligit.

Certum igitur Rationis, et immutabile cum sit
Exemplar, seu judiciis praeest illa ferendis,
Seu regit affectus animorum, et facta gubernat;
Sunt liquido per se fieri debentia quaedam

que l'on reçût tout cela d'un grand sérieux. Car naturellement l'harmonie est harmonie, malgre les jugemens ridicules, que certaines gens portent de la musique; et de même la symmetrie, et la proportion font fondèes dans la nature des choses, quelqué barbare on quelque gothique que puisse êtré le goût de quélques personnes, dans leur architecture dans leur peinture, ou dans quelque autre Art femblable, que ce puisse être. Il n'en est pas autrement dans les choses, qui concernent la conduite, et les moeurs; les mêmes nombres, la meme harmonie, et la mémé proportion ont líeu dans la morale, et fe marquent dans les caracteres des homnes. Charac. Avis à un aut. Sect. 3. 1. Vol. p. 353.

Omni hominum Ratione prius, quae justa vocamus;
Ut sunt per sese quaedam debentia credi
Omni hominum Ratione prius, quae vera vocantur;
Legibus a nostris vel neutra, vel utraque pendent.
Hinc si quid verum est; aliquid justum sit, oportet.

Quod si adeo hebes eorum ingenium reddiderit altercandi habitus, ut non ista intelligant, quaero, num maleficos, num ingratos, num crudeles, num superbos aspernentur, et oderint? num contra comitatem, benignitatem, gratum animum, beneficii memorem diligant? sin vero haec minime sentiant, fateantur, se ne hominis quidem induisse personam, aut certe exuisse naturam. Tullius profecto, qui et homo, et philosopus fuerit praestantissimus, *communis*, inquit, *intelligentia nobis notas res efficit, easque in animis nostris inchoavit, ut honesta in virtute ponantur, in vitiis turpia*, 1. de legibus; et lib. 3. *nos ait ad justitiam esse natos, neque opinione, sed natura constitutum jus*. Neque vero ista sic Tullii, ut non ceterorum quoque hominum sententia fuerit. Totum in ea consentit genus humanum, et apud omnes gentes, et in omni lingua in usu sunt vocabula, quibus ideae boni, et mali, justi, et honesti, vitii, et virtutis respondent, et nemo unus est, qui contraria justi videlicet, et injusti nomina, atque adeo ideas eidem assignet actioni eisdem sub circumstantiis elicitae. Quod certe secus usuvenire deberet, nisi una omnibus esset justi, et injusti regula, eaque et rata, et fixa, et invariabilis. Hic me continere non possum, quominus liberrimam illam prodam sive ignorantiam, sive impietatem hominis Galli, cujus nomen silere satius duco, quam ut meas inhonestet chartas, qui civilem disciplinam variam pro varietate societatum confundens cum naturali vel turpitudine, vel honestate, dedita opera sic cavillatur, ut velit, quod bonum sit, non omnibus esse amabile, quod malum, non omnibus

odibile. Atqui multas res per se turpes videmus in usu esse apud multas nationes. Acumen hominis Galli! non videmus etiam apud cultas nationes multos, potissimum autem philosophos, quae turpissima sunt, perditissime amare? An amor philosophi mutat naturam rerum? rem turpem amatam a philosopho propterea facit philosophus honestam? Aliud est non cognosci malum, aliud non amari malum. Barbarae nationes et cognoscunt, et amant, et cognoscunt, et odere bonum. Quin immo qui prae ceteris ingenii acumine valerent, idque intimius rimati sunt, philosophi, et legum latores non testatam modo, sed rationum quoque momentis firmatam rem fecerunt. Non agam longius; vide si vis Hippodamum Pythagoraeum apud Stobaeum pag. 659. edit. Aust. 1788., Aristotelis Ethicam, praesertim vero lib. I. pag. 9. 10. et 11., caeteros; nam Stoicos nemini non notos commemorare est inutile. Quare si talem nobis agendi modum constituerimus quem regula veri dimetiatur, quae dictat, justum esse, ut intra ordinis illius fines, qui naturae nostrae convenit, consistamus, verendum minime erit, ne justum, ne bonum, ne honestum nostras ubique actiones comitentur: quibus tamquam militibus stipatus ne a choro quidem vitiorum turbari vitae nostrae cursus poterit, sed praeclara quaedam aequabilitas in omni vita nobis erit, et idem semper vultus, eademque frons. Atqui hanc ipsam regulam, qua verum a falso in contemplando, bonum a malo in agendo secernimus, voco *legem naturalem*. Ut enim haec regula et est a natura, et est naturali mentis lumini conformis, ita est apprime apta ad mores hominum in ordine regendos; cum non dictet modo (quod legis proprium est) quae facienda sunt, prohibeatque contraria, verum etiam sibi obnoxias, atque obstrictas faciat hominum voluntates. Quod mihi secundo loco proponebam. Quemadmodum mathema-

tico Viro etsi liberum fuerit, utram sive parium, sive imparium, sive definite, sive indefinite progredientium numerorum seriem eligere; quemadmodum Architecto, etsi ab ejus voluntatis penderet electione tum certa modulorum ratio, tum datus Architecturae ordo; serie tamen semel electa, et modulo, et ordine semel definitis necessum est, ne pereat ordinis proportio, eandem ubique sequi rationem, et ab ea ne latum quidem unguem recedere; ita (ut majora ex minoribus consequamur) supremo rerum omnium Artifici, et Architecto necessum fuit, ne a consueta sapientiae suae, ac rectitudinis semita unquam deflecteret, spectabilem hunc, quem ceteros inter possibiles liberrime selectum non minus libera voluntate creavit, ordinem rerum ea naturarum varietate, iis perfectionum gradibus distinguere, eo omnium nexu conjungere, quem ipsa ordinis ratio, visque exposcebat. Jam vero ipsa hujus ordinis natura expostulat, ut non solum aliae aliis perfectiores naturae sint, ut quod viget, praestet inanimo corpori; brutum sensu praeditum inter virentes naturas excellat; quod sensu tantum movetur, vincatur praestantia, excellentiaqne naturae illius, quae rationis est particeps; sed etiam ut omnes ea sint ratione directae, eaque dispositione connexae, ut unaquaeque natura cum sibi, et suo peculiari fini, tum omnibus, et communi omnium fini aliquid debeat, aliquid tribuat. Cum vero aliae hujus ordinis naturae et hunc ordinem, et ordinis hujus rationes sentiant, atque percipiant, aliae neutrum intelligant; patet homines, quippe quos ordinis istius rationes tangunt quid sibi, quid ceteris ordinis naturis, quid commune omnium conditori debeant, posse perspicere. Fit inde, ut cum se homines liberos, suique juris sentiant, nullaque impulsos fatali necessitate ad ordinis rationes vel tenendas, vel pessumdandas; istud quoque intelligant, eo magis se ad hominis of-

ficia ineunda esse devictos, quanto prae ceteris excellentius non coacte, sed sponte sua ad illa exequenda per ordinis pulchritudinem, et quasi amorem trahuntur; adeoque intelligant facultatem sibi fuisse factam, quodcumque vellent, eligendi, non ut infinita licentia uterentur, qua et se, et reliqua de stato ordine deturbarent, et intellectum ab Artifice tanti operis finem, quantum in se erat, frustrarentur, sed ut et jucunditatem, et meritum caperent sartas, tectasque relationes illas custodiendi, quas ipsam rerum naturam, earumque omnium ordinem exigere Mens illa divina, et creatrix in fabricando Mundo conspexerat. Quibus certe intellectis, non omnia, quae per vires ipsi sibi permissas possint, sibi licere homines sentiant, necessum est, si modo tantam sibi notam inurere noluerint, ut contra excellentem naturae suae praestantiam, contra communem rerum universarum ordinem, contra Opificis Sapientissimi voluntatem operentur. Optime more suo Romanae eloquentiae princeps in hanc rem ait „ qui se ipse novit, ali„ quid sentiet se habere divinum, ingeniumque in se „ suum, sicut simulacrum aliquod dedicatum puta„ bit, tantoque munere Deorum semper dignum ali„ quid et faciet, et sentiet „ (lib. 1. de leg. n. 59.) Quapropter sive Deum, qui talem Naturae ordinem statuit, respicias, sive quid poscat ratio hujus ordinis, investiges, sive hominis naturam consulas, sine dubitatione conficies, legem naturalem, quam intus in nobis ipsis legimus, verum, ac proprium hominibus parendi officium inferre, quam rescindere nulla vis, nulla aetas, nulla dignitas possit. Nam ut ab hominis natura exordiar, ita natura comparati sumus, ut redundare omni bono, vacuos esse omni malo, et ipsa malorum suspicione liberos semper esse velmus. At primum, si quid aliud est, quod inditum hunc felicitatis sensum adgrediatur, feriat, ac pene dixerim occidat, sunt certe conscientiae aculei,

quos legis naturalis violatio mentibus inurit. „ Magna vis est conscientiae in utramque partem, inquit „ Cicero pro Milone n. 63. , ut neque timeant, qui „ nihil commiserunt, et poenam semper ante oculos „ versari putent, qui peccaverunt „. Quin etiam ut quisque est perditissimis moribus, ita maxime ad foliorum tremorem, aut si *virides rubum dimovere lacertae*, *et corde*, *et genibus tremit*; et quod magis angit animos, sive deliciis diffluant, sive diadematis splendorem ostentent, sive in cimmeriis se abdant tenebris, nunquam peccantes deserit conscientia, cui propterea demandatum a Natura legis suae illius executionem diceres. De Caligula Svetonius refert, eum auditum sic comminantem Jovi: ἄς αἴαν Δαναῶν περῶ σε: *In terram Danaum eijciam te*. Idem usurpabat illud Manelai Iliad. y. pugnantis cum Paride Ζεῦ πάτερ ὄυτις σεῖο, θεῶν ὀλοώτερος ἄλλος: *Jupiter pater nullus te Deorum perniciosior alter*: idem tamen, quotiescumque tonaret, quaerebat latebras, et pavore consternebatur, Deum ultorem perhorrescens. Quisquis ergo cum ratione non insaniet, indiciis istis intelliget, liberum homini minime esse, quocumque deferat voluntas, pro libidine ferri, sed rectae rationis legibus sibi esse obtemperandum. Deinde cum quae bona, quae honesta sunt, omnia una ratione magistra homines consequantur, profecto non video, qui possit homini esse arbitraria, sive ἀδιάφορα, et media legis naturalis observantia, qui natura cogitur ad felicitatem. Animadverterat Tullius 3. de finib., quod magnus Augustinus Judicis exemplo perbelle explicat „ neminem esse, qui eamdem illam rem, „ quam adipisci scelere quovis velit, non multis par- „ tibus malit ad sese, etiam omni impunitate proposi- „ ta, sine facinore, quam illo modo pervenire „, cujus quidem rei haec afferri potest causa proxima, quia omne malum aut timore, aut pudore natura perfudit. Nimirum ut nos, quos undique venenes,

cupidinesque circumstant, ut illecebris suis in omnium demum miserrimam servitutem abducant, ab illarum licentia liberos hominum pater efficeret, facilioremque, ac tutiorem pararet ad felicitatem viam non modo rationem, mentemque nostram regula veri dirigebat, ut ea recta nos deinde ad virtutem duceret, per quam vel unice, vel maxime felices, beatique evadere possumus; sed pudorem quoque, ac metum, quae egregia sunt ad virtutem incitamenta, adjungebat, ut in eam vindicaret libertatem, quae recta ducit ad felicitatem. Quare si hominibus nec libera, nec indifferens est beatitudo, nec erit legis observantia illius, sine qua ad beatitudinem perveniri non potest. His postea accedit Ordinis ratio quae id necessario ab hominibus exigit, ut hoc per se praestent, quod Divinitatis instinctu quodam reliquae omnes tribuunt Ordinis partes. Tribuunt autem, quidquid et sibi, et ceteris ad ordinem communem debent: cum ergo homines sint in isto naturae ordine arbitrii libertate praediti, uti ea debent eousque ut universo rerum ordini debitum solvant tributum; quod exequi homines nequeunt, nisi id omne exequantur, quod recta jubet ratio: jubet vero, ut libertas illa lege naturali coerceatur, ne exlex omnino, effrenisque vagetur. Sint a perito artifice plures horologii rotae ea ratione dispositae, qua indices inde moti notent, alius temporis minuta, horas alius, tertius dies mensis, anni tempora quartus, quintus zodiaci signa, ec. Mihi vero lubeat, hanc ordinis rationem pro arbitrio turbare. Dic, sodes, quid tu mihi, si de horologio, quod nil amplius indicet, tecum quererer, responderes? nempe mihi esse necessum, statam rotarum dispositionem sartam, tectamque servare. Atqui ego liber sum. O bone, inquies sine dubio, tuam tibi libertatem ad ordinis istius rationem coercendam esse non sentis? Ubi est acumen tuum? Quam vis rotarum dispositionem, eam per

licentiam ne te obtinere posse confidas. Quare cum de universo rerum ordine id eo magis valeat, quo minus circa finem naturalem simus liberi; patet, ab ipsa ordinis ratione constitutum per legem naturalem fuisse libertati modum. Quod perinde est, ac si dicerem, homines lege naturali in officio esse continendos. Postremo num existimas, Deum, qui et hunc rerum ordinem, et illam legem ad ordinem servandum hominibus voluit affulgere, aliud praeter ordinis rationem, aliud praeter legem naturalem praescribere posse, et quod homini nec per ordinem licet, nec licet per legem, per Deum posse licere? Se, suamque Deus perfectissimam, et infinitam naturam cum comprehendat, fieri non potest, quin et omnes una mente comprehendat possibiles rerum ordines, et qua ratione, quibusque legibus contineri cujusvis ordinis naturae debeant, plenissime inspiciat. Si ergo Deus talem rerum ordinem statuere velit, in quo naturae rationis compotes, et liberae locum habeant suum, hoc item eum voluisse consequitur, ut hujusmodi naturae tum ordini a se statuto serviant, tum legibus ejusdem ordinis pareant, eo plane modo, quo ipse ordinem condens ejus naturam exposcere intuebatur. Intuebatur autem Deus, quid homines et ipsi sibi, et ceteris debeant. Cum igitur Deus naturas conderet hujus cognitionis participes, qua sua ipsae officia mente sua intuentur, hoc ipso ad ea officia obeunda devictas creabat; quod est et indere hominibus legem, et lege liberam hominum voluntatem ad ordinem servandum obstringere. Desumi hinc debet vera, et germana obligationis notio. Quandoquidem non metus, non vis, non auctoritas ulla, non potestas ipsa per se valet liberam hominum froenare voluntatem, sed quod unice libertatis licentiam moderetur, ac coerceat rectae rationis vel imperium, vel suffragium.
„ Quis imperabit Principi? scribit Plutarchus de do-
„ ctrina Principum; nempe lex omnium regina et

„ mortalium, et immortalium, ut ait Pindarus: non „ ista quidem lex foris in libris, aut ligneis scripta „ tabulis, sed viva illi insita ratio semper convivens, „ ac familiaris Principi, nec unquam animum suo du„ ctu, sua moderatione destituens„. Quid ergo est, quod quidam hodie sibi permitti expostulant, ut typis, quidquid libuerit mandari sit liberum? an isti ignorant, cum veri, tum boni quoque unum esse ordinem, idem caput, eorumque partes, et membra tam arcto nexu colligari, ut nequeat alterum sine altero consistere? An velint et falsa, et turpia non dicam impune, sed sibi facta etiam facultate venumdare? Audiant, quaeso, Ethnicum saltem philosophum, qui ratione sapienter uti callet. Est enim Cicero, qui docet, *quod honestum sit, id solum bonum esse: et omnes Sapientes liberos esse, et stultos omnes, servos* (Vid. paradoxa). Quin et, Plutarchus lib. de auditoris officio „ *Rationi*, inquit, *quicumque parent, merito liberi sunt appellandi, eo quod soli, qui discunt, quid velle debeant, vivunt, ut volunt*. Sed jam multa de lege, et ejus obligatione; de regula quoque nimis fortasse multa. Videamus modo, quae sint

POTISSIMA HOMINIS OFFICIA

Quas communitate ordinis universae inter se naturae debent affectiones mutuas, ac veluti necessitudines tueri, eas omnes homo in se uno debet per legis naturalis observantiam conservare. Hinc tria officiorum genera nascuntur, quorum primum naturam ipsam hominis afficit, alterum naturas ei similes, tertium naturas minores, quae hominum commodo, et usui inserviunt. Quoniam autem homo inter caetera, quae vita utuntur, Deum Patrem appellet, qui rex est, et creator omnium, aliud propterea, et longe amplissimum est officii genus hominis in Deum. De singulis ut aliquid loquamur, locus jam ipse monet.

Primo itaque, qui se ipse novit, sentit se et ani-

ma, et corpore praeditum fuisse, eoque vinculo conjunctis, quo natura exurgimus homines: Hominis vero alias esse, atque alias facultates, easque appetitiones similes comitari, quibus etsi non ea sit natura, ut nos nobis invitis, ac nolentibus ad agendum determinent, allicimur tamen, impellimur, trahimur. Prior igitur officii nostri pars haec erit, ut de his cum appetitionibus, tum facultatibus noverimus, ut recta ratione duce eo dirigantur, quo suapte natura tendunt, et feruntur; utque ordo ille servetur, quem ipsa naturae constitutio poscit: Jam vero alia est, semet, alia humanam sobolem conservandi facultas: rursus est quae veri perspicentiam, et intelligentiae, libertatisque perfectionem; est etiam; quae hominum societatem respicit. In hac providentissima Natura nihil timendum philosopho est, ne sua vel materies, vel objectum cuilibet facultati, et appetitioni non respondeat, sed valde ipsi cavendum est, ne ita ratiocinetur, quasi aut deesset, aut deesse pro arbitrio posset, id quod ad liberrimum illum, et plane φαιτασικόν Societatis contractum velim potissimum referri. Cavendum pariter illud, ne naturalem hominis finem coarctet philosophus adeo, ut a corporis statu, cujus naturalia indicia sunt voluptas, et dolor, totus pendere dicatur, inde enim fiet, si sibi constet, ut cum molestiam a voluptate, vel dolore partam excutere homo debeat, ut suo fini natuiali obtemperet, molestiam ipsam animi habeat tamquam solam rationem, propter quam homo semper vult: aut non vult, sicque grave humanae libertati vulnus infligant. (vide lib. 2.). Ceterum facultates hominis novisse non erit satis, sed posteaquam animi cultura, et scientia et nativam illam ignorantiam, et, qui ignorantia pejor est, errorem, si quem contraxerit, a se homo depulerit, et mentem, ac rationem veritatis imperio subjicere didicerit, tunc excitanda ad actionem erit voluntas, ne sit in officiis obeundis pigra, eaque in

potestatem rationis submittenda , ne a suo naturali fine unquam deficiat . Atque hoc pacto totus perfici homo poterit , quod erat ad felicitatem , ad quam natura vehimur , consequendam prorsus necessarium . Posterior igitur officii nostri pars est voluntatis perfectio . Quare duabus equidem partibus excellentissimum illud complector Solonis monitum γνῶθι σεαυτόν *nosce teipsum* . Quod qui ob oculos habet , homine semper dignum aliquid et faciet et sentiet . Sed illud minime tacendum est , quod in se quisque velit nolit saepe numero experitur , intestinum voluntatis , et affectuum bellum , quo , ut ait Medea apud Ovid. lib. 7. Metam.

Aliudque cupido
Mens aliud suadet . Video meliora , proboque ,
Deteriora sequor .

Nec enim voluntatis imperio , ut par esset , et ordinis ratio postulat , obedientes appetitus sunt , sed ab ejus ore pendere recusant . Pugnam hanc , adeoque humanae naturae perversitatem ingenti , qua pollet , eruditione, ac pari scientia describebat Vir pietate non minus , quam scientia illustris , mihique amicitia conjunctissimus Petrus Masdea olim Metaphysices , nunc vero SS. Canonum in Collegio Germanico Professor . Hanc ipsam pugnam forti animo sustinere , ne mens unquam materiae pondere pressa cedat , ad officium pertinebit voluntatis : Nam eveniet tandem aliquando , ut cumulata victoria rebelles isti milites ad perfectam Ducis sui obedientiam revocentur , et pristinus redducatur ordo , quo fiat , ut ratio praesit , appetitus vero obtemperent. Pace vero composita corporis sui non tam procurationem, quam imperium, mens, et ratio hominis sumat est opus ; nulloque tempore sinat , quod est infinitis partibus inferius , corpus in se dominari . Atque hic sua veluti sponte se mihi offert aliud officii genus : hominis nimirum erga naturas minores hominum gratia factas , et paratas . *Omnis*

rerum naturae pars, inquit Seneca lib. 1. de benefic. c. 23., *tributum nobis aliquod confert. Tot arbusta non uno modo frugifera, tot herbae salutares, tot varietates ciborum per annum digestae; jam animalia omnis generis, alia in sicco, solidoque, alia in humido nascentia, alia per sublime dimissa homini alimenta praebent: neque necessitatibus tantummodo nostris provisum sit; usque in delicias amamur*. Nam cum partim ordinis ratione justum sit, ut inferioribus superiora dominentur, illaque horum commodo, vel usui accommodentur; partim vero eadem illa sint ad eorumdem conservationem necessaria, cui prospicere homines lex naturae cogit, perspicuum est, quidquid ratione destituitur, excellentiae, praestantiae naturae illius, quae rationis est compos, fuisse a natura subiectum, atque ob eam rem homines rerum illarum dominos esse, iisque frui libere posse. At *in omni re*, inquit Cicero, *videndum est quatenus*. Est igitur proprium munus hominis intelligere, haec sibi a natura tribui, ut vitam, corpusque tueatur. Quare modus quidam adhibendus erit, ne corpus nimio vel cibo, vel potu non tam auctum, et roboratum, quam debilitatum, et fractum rationis imperium sustinere impotens reddatur. Saepe Terentianum illud occurrat *ne quid nimis*; sitque nobis corporis tuendi necessitas, quam ratio probat, victus, et esus rata, et constans regula.

Sed porro pergamus. Vitae tuendae necessitas hominem ita consociat homini, ut etsi melius nihil, nihil praestabilius, nihil humano ingenio dignius accederet, nihilo secius homines hominum causa generatos dicerem, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possint. Nunc quando nova vis, nova facultas, novae impellunt homines propensiones ad societatem, conjunctionemque, quae ita propriae sunt hominis, ut nulli rei sint communes, probandum est, sapientissimum hujus ordinis effectorem Deum, eam inter homines societatem inchoasse, quam ipsi postmodum

perficere ipsa natura monstrante debuisset, quae tantae naturae nobilitati adamussim responderet. Quid enim aliud sibi voluit Deus, cum tanta devinciret caritate conjuges, liberos, propinquos, familiares? Quid sibi vult aliud tam vivus, ac pertinax pietatis sensus, tam nulla mercedis spe ductus, ut quos etiam minime novimus, iis suppetias dare, sive consilium, sive opem ferendo nos alliciat? ex pietate vero tamquam ex Trojano equo, societatis, communitatisque conservandae virtutes omnes prodeunt. Quid aliud denique facit studium adeo vehemens non videndi solum, audiendi, discendi, sed etiam cognitionem rerum aut occultarum, aut mirabilium ceteris hominibus communicandi? Non haec naturae nostrae appetitio totius Mundi incolas nos efficit, et cives? Socrates re ipsa, ut est apud Ciceronem, cum rogaretur cujatem se esse diceret, mundanum una hac de causa se esse vere potuit affirmare. Morum vero similitudo, idem sermo non eos quoque, quos barbaros, et feros appellamus, et mites, et caros, et amicos reddit? „ Humanae societatis vinculum, ait Cicero de offic. „ 1., est ratio, et oratio, quae docendo, discendo, „ communicando, disceptando, judicando conciliat „ inter se homines, conjungitque naturali quadam so„ cietate, neque ulla re longius absumus a natura fe„ rarum, in quibus inesse fortitudinem saepe dicimus, ut in equis, in leonibus, justitiam, aequitatem, bonitatem non dicimus. Sunt enim ratio„ nis, et orationis expertes., Quid virtute amabilius, quid ea copulatius? quae etiamsi in alio cernimus, tamen nos movet, atque illi, in quo inesse videtur, amicos facit? Quoniam igitur tot sunt nobis ad societatem fovendam igniculi a natura dati, pestifero quorundam Scriptorum halitu eos exstingui ferendum nullo modo est. Neque vero quaecumque societas hominum societas censenda est, sed quae virtute maxime honesta sit. Ut enim gubernatori cur-

sus secundus, medico salus, sic Reipublicae moderatori beata civium vita proposita esse debet. Quae autem naturae rationalis beatitudo esse poterit sine virtute? „ Cum homini insit inclinatio ita docet philosophus, qui unus omnes facile vicit, e cujus manibus metaphysicae doctrinae perfectionem sortitae videntur suam, quem ut possent degustare utinam tantum sanitatis relictum corruptis philosophis foret. „ cum homini instit inclinatio, inquit ille, ad id, „ quod est sibi bonum, et conveniens secundum na„ turam propriam, idest rationalem: puta ad cogno„ scendam veritatem, praesertim de Deo, et ad vi„ vendum in societate, et secundum rationem; per„ tinet ad legem naturalem, quod ignorantiam vivet „ in necessariis, quod Deum colat, quod alios non „ offendat, et caetera ejus generis. „ S.Thomas 1. 2. „ q. 94. art. 2. Offendunt autem hominis excellentem naturam, majestatemque, qui talem stabilire vellent societatem, in qua non illud sit viro bono propositum, quod rationalem ipsius maxime tangit naturam, sed hoc pro fine habeatur, rebus omnibus abundare, virtute interim, et instrumentis,quæ ad virtutem faciunt, desertis. Nihil enim esse potest, a quo lex naturalis abhorreat magis, quam homines pecudum instar ad victum, cultumque corporis, ad mollem, ad delicatam vitam, non ad parce, continenter, severe, sobrieque vivendum consociari.

Jam hominis in societate degentis duplex officium esse defendo. Namque et singulis societatis membris benevolentia, quam eamdem benignitatem, vel liberalitatem appellare licet, exhibenda est, non solum suum cuique tribuendum; et moderatoribus, tamquam capiti obedientia; idque non ex uno pacto, et convento aliquo, sed legis naturalis praescripto, et imperio. Quorum officiorum illud primo loco positum firmius est, quam ut nostra egeat oratione. Intus enim unicuique clamat justitia, et beneficentia: justitia, ut

ne cui quis noceat, beneficentia, ut omnibus proſit: hoc enim cum ſibi quiſque ab aliis exoptet, a ſe quoque benigne hominibus eodem modo faciendum eſſe ratio ſuadet. De obedientia ergo, quam nonnulli calculis, ac nomine philoſophiae labefactare, ſtudent, pauca dicamus.

1. Societas, quam aliquam homines natura duce ineunt, ſatis nec tuta, nec ſtabilis, nec tranquilla eſſe poteſt, ſine legum, quibus ordo continetur, obſervantia. Conſtat autem, nullum eſſe mali genus, quod non parturiat ordinis violatio. Si ergo leges, quae Caput ſocietati ſtatuunt, cui ſingula ſocietatis membra obtemperent, non ex pacto, et convento quovis, ſed ab ipſa natura vim repetant ſuam, evidens erit, ipſam quoque obedientiam ſocietatis moderatori exhibitam eſſe a natura. Id vero eſt, quod in dubium revocarit nemo veritatis amator. Nec enim lex ulla diu vigere apud homines poteſt, nec ulla poteſt intimam, liberamque hominum voluntatem devincire, quae ſuam non habeat vel in lege, vel a lege ortam naturali firmitatem. Una eſt enim lex naturae, quae intimam, atque propriam inducat, ac moderetur humanarum actionum et juſtitiam, et bonitatem, et honeſtatem, e quibus omnis pendet ordo; nam primario, ac per ſe ſola naturali lege, vere, ac proprie obſtringi voluntates poſſunt, uti ſuperius oſtenſum eſt. Ex quo conficitur, et regiam poteſtatem ſemel rite conſtitutam eſſe a lege naturali, et illi obedientiam deberi ex legis ejuſdem praeſcripto. Ergo ſi ſtare ſocietas debeat, nec ſtare ſine ordine, et rectoribus poſſit, nec ſtet ordo ſine legibus, nec leges queant ſine obligatione vigere, nec ſit ulla propria obligatio ſine lege naturali. Profecto ſtabit itidem ſocietas, et qui ſocietatem moderantur, per legem naturalem. Cum vero ea natura, a qua inditam homines acceperunt legem illam, ſit Deus; patet a Deo illam poteſtatem, quam legitimae ſocietatis ſemel rite conſti-

tutae caput super membra exercet. Quis est sane tam vecors, aut rerum omnium tam ignarus, qui liberos parentibus parere, nisi ex pacto, nolit? Sed Princeps est civium pater.

2. Si suprema potestas, et debita illi obedientia sit ex mero, nudoque pacto, et convento, tamquam ex originaria, et efficienti causa libertatis humanae; nullius certe firmitatis erit. Namque hoc posito sicuti liberum fuit pacisci; ita quoque liberum posteris erit manere in pactione: posteris, inquam; nam illi ipsi, qui paciscuntur, ut stent promissis, lex ipsa jubet naturalis. Neque posteri, si nolint, ex anteriori illo pacto, exclusa vi legis naturalis alligantur. Illi enim in voluntates posterorum ut acquirere jus nullum, sic neque uti pro suo arbitrio tamquam suis poterant; par enim libertas ex pari libertate auferri non potest. At contra erit, si lex naturalis statuatur Societatis, atque adeo regiae potestatis, et debitae illi obedientiae efficiens causa, et quasi fundamentum. Quippe lex ista et est semper eadem, sive immutabilis, et est a supremo Naturae opifice, et communi hominum Patre Deo, cui obedire omnes debent, ut par est.

3. Dicent ne nostri isti philosophi, uxorem viri sui potestatem detrectare jure posse, quod libera convenerit? non puto, illos eo insaniae devenire. An vero viri potestatem suam ab uxoris convento petent, et quae conveniendi libertate fruebatur, etiam obediendi fruatur? Inauditum hucusque opinor. Sic itaque ego argumentor. Quae ab origine prima inter se colligatae fuerint domus societates suadente natura, magistra ratione, vitae necessitatibus impellentibus, etiamsi liberrime convenisse dicantur, non ipsae tamen supremam potestatem Principi semel ascito tribuerint, quam lex ipsa ordinis statuit; atque idcirco ni velint extra omnes ordinis fines sine mente, sine lege vagari, Principi obtemperare debuerint, licet antea liberum eis fuisset convenire.

4. Quid si tandem hanc inter se conveniendi libertatem adimeret propagatio, et soboles? Age vero, fac, conveniant in insulam aliquam non grandem illam quidem parvae familiae tres, quae aliquot post lustris propagata sobole totam occupent insulam adeo, ut populus evadat in dies magis frequens, quem alere solum possit: nec minus frequentia, uti fieri inter homines cupidine dominatos solet, jam sint in illis jurgia, lites, uno verbo injuriae, quae ordinem perimunt Societatum. Eo, ut patet, res devenit, ut foedera inire, societatem coire sit necessum. Sive armis, sive id consilio fiat, tres illae familiae, quae ne se quidem noverint initio, unam familiam, unam communitatem, societatem unam componunt. Porro aut ex unaquaque familia unus eligitur novae societatis moderator, aut ex omnibus unus eligitur Princeps. Utrumque enim liberum principio fuit. At vero societatis hujus moderatori obedientiam praebere omnibus fas est eo ipso jure, quo singuli pridem familiae suae duci praebebant. Atqui Patri familias obedientia debetur jure naturae. Apage ergo mera pacta, et conventa. Quae si vera sunt, nullum quidem illo incertius principium sumere poterat *Beccaria*, cum poenas criminibus ferre geometricas novus Legislator vellet. Attamen ad illud omnia cum referat, eique tamquam fundamento totum innitatur codicis aedificium, palam est, omnia simul ruere eo sublato.

Quae praefati sumus omnia eo digna sunt capite; cum natura unamquamque rem in suum finem naturalem ordinaverit, nulla potest a sui fine naturali deficere, vel praeter ipsum operari. Deficerent autem homines, nisi hominum inter se societatem inirent. Quippe nec suum naturalem finem benevolentia, pietas, caeterique animi humani sensus obtinerent, nec obtineret ratio, quae perfici sine hominum societate non potest. Si quis igitur est, qui philosophiam audiat officia hominis docentem, et se non sibi solum na-

tum esse, et ortus sui partim patriam, partim parentes, partim amicos naturae jure vindicare sentiet (1). Ingenus nunc veritatis amator tamquam honorarius judex pro tribunali sedeat, feratque sententiam, quantum nobilissima haec philosophiae pars, quae mores, quae hominis officia spectat, nostra hac aetate profecerit. An haec philosophiae aetas? Sed ego illud quaero, cum tanta homines benevolentia, tantaque caritate devinceret naturae parens Deus, ut unus fieret ex pluribus, quod Pythagoras vult in amicitia, num quatuor vitae hujus horis totam, tantoque apparatu exhibitam hominum societatem concludat providentissima, ac sapientissima natura; an potius sit velut delibatio quaedam alius societatis, quam immortales animi ad eundem finem destinati in aeterna aliqua civitate inibunt. Cernere mihi videor mulierem illam reverendi admodum vultus, quam sibi supra verticem adstitisse scribit Boethius, Philosophiam, modo coelum pulsare summi verticis cacumine, ipsum etiam coelum penetrare, respicentiumque hominum intuitum frustrari. Licet tamen homini, quantum scire fas est, ipsa reserante cognoscere, futurum aliquando, ut animi hominum, qui post hanc lucis usuram superstites, in hoc vitae cursu nec plenum meritorum officiorum praemium invenire, nec illius felicitatis, quam optat, imperturbabili quiete, dulcissimoque sapore beari hic potuerunt, aliam incolent nunquam desituram Civitatem, in qua inchoata divinitus ad supernum finem hujus vitae societas perficiatur, unaque omnes amicitia copulet, una omnes beatitudo felices habeat. Ecce latissimus aperitur campus, ubi li-

(1) Vid. S. Thom. quaeſt. CIV. 2. 2. art. 1. Operum Purpurati Gerdili Tom. V edit. Bonon. Bergier *Quell' est la source de chaque auctorité*; et librum *della libertà ed eguaglianza degli uomini nell'ordine naturale e civile* quem Romani Ephemeridum Ecclesiasticarum Scriptores auctorj adſcribunt Michaeli Augusti Olivet. Ord. Monacho.

cet intueri, nisi humanus oculus caliget, summi, perfectique boni plenissimum fontem, a quo optimus hic rerum ordo profluit, Deum. Heic est veritatis origo, heic illa beatitudo, quae cui semel est parta, ei vi aliqua eripi, auferrique non potest; cujus possessione immensa quaedam, et incredibilis animi quies, atque tranquillitas comparatur; delectatio vero, et suavitas animo tanta accedit, quantam ne assequi quidem cogitatione possumus. Pronum igitur erit intelligere, hunc esse, quo animi immortales tendunt, propositum hominibus supernum, ac plane divinum finem. Nam illa inprimis veri videndi cupiditas infinita, quam animis nostris indidit Deus, infinita indiget veritate, eodemque veritatis fonte, ut tandem aliquando suum habeat investigatio finem, omnemque sollicitudinem, et sciendi cupidinem deponat animus; qui nisi ipsa se nobis veritas clare, nitideque, ac plenissime reserat, et communicet, satiari alio pacto non poterit. Deinde irrequietus ille felicitatis amor, cujus excitant potius, quam expleant ardorem opes, honores, imperia, voluptates, caeteraeque res omnes, quae ab hominibus expetuntur, atque in pretio summo habentur, infinitum expetit, et stabile bonum, cujus non modo delectatio, sed tranquillitas quoque abundantia quadam sua totam absorbeat desideriorum capacitatem, quo fit, ut omni denique affectu, ac perturbatione vacuus animus, solutusque quiescat. Vanus caeteroquin, et inanis appetitus noster esset, si nullus statueretur appetendi finis, et in infinitum fieret progressus. Quam provide igitur nobiscum est actum, ut laborum quidem tempus, et agonis breve, et, ut ita dicam, momentaneum esset, coronae vero, et meritorum praemia sine fine durarent! O dignam tanti Provisoris Sapientissimam Oeconomiam! O ineffabilem, et immensam Dei Creatoris Bonitatem! Deus igitur nobis celebrandus est, Deus nobis diligendus est. Hoc munus, hoc officium est ho-

minis, hoc ratio, hoc voluntas spectant. Quamobrem sic constituendum est, qui Deum pura, integraque, et incorrupta mente, et voce non semper venerentur, et colant, illos tam ordinis rationem funditus evertere, quam legis naturalis praescripta omnia pessundare. Etenim ordinis ratio, qua inferiora omnia superioribus subjiciuntur, id ab hominibus perpetuo flagitat, ut Deo, a quo toti quanti sumus uno pendemus, altam animis conceptam venerationem, cultumque exhibeamus; eumque humiliter, ac confidenter invocemus, qui et Creator simul, et Pater noster est, et bonorum omnium fons simul, et universorum Dominus: praeterea, observantia, officiis, assiduitate memores, gratosque ei nosmetipsos quovis tempore praebeamus, cui quidquid sumus, referimus acceptum, nec non aequo animo, et hilari et jussa complectamur, et permissa, ita ut sive secundis rebus, sive adversis velit vel toto vitae hujus tempore, vel certo quodam spatio obedientiam, fidemque nostram experiri, vel exercere, ipsiusmet providentiam, et omnium creatricem, et rerum omnium creatarum summa justitia, ac sapientia moderatricem, quem nihil omnino lateat, adoremus. Uno verbo omnia in ordine morali, sensus, appetitus, ratio, voluntas Deo obtemperent, sicuti in ordine physico nihil se ab legum ejus observantia subtrahat. Ut si fieri possit, magis in spiritus, quam in corpora dominetur ipse Deus. Hoc sane pacto singulae hujus ordinis Naturae, sive proprio quodam pondere, appetitioneque naturae, sive libero voluntatis motu ad communem hunc finem et generale bonum revocentur, ad Deum, inquam, a quo et originem primam, et suam deinde conservationem acceperunt. Duplex itaque ut apparet facio hujus amplissimi officii caput, sive priucipium, quemadmodum duplicem esse constat hominis facultatem, cognoscendi scilicet, et agendi. Necesse est enim

1. recte sentire de Deo. Quocirca praecipuum hominis studium ad earum rerum cognitionem converti debet, quae cum caeterorum officiorum, tum ejus potissimum officii rationem patefacit, quae divinam propius tangit si minus naturam, at certe perfectiones illas, et attributa, quae humanae mentis aciem non fugiunt: hujusmodi sunt: Deum esse coeli, terraeque conditorem Sapientissimum; universorumque justissimum provisorem; ideoque non casu esse factum Mundum, non aeternum, nec esse navem sine rectore; tum eum esse omnibus cumulatum perfectionibus; quo pateat illorum delirium, qui rebus istis caducis per se, et imperfectis divinos honores tribuere: tantam deinde esse supremae illius mentis praestantiam, ut infinitis partibus vincat humani ingenii acumen, ex quo illud inferri velim, si quid interdum feratur hominibus de divina ipsa natura revelatum, comprehendi istud humano ingenio non debere, sed arcanum homini necessario futurum, atque secretum, quippe quo pertingere mentis aciei ab ipsa naturae suae conditione sit denegatum; post, hanc perfectissimam naturam unam esse; quo fiat, ut plurium Deorum opinio palmaris erroris, et polyteismi cultor criminosae ignorantiae redarguatur; tandem eumdem esse aequissimum humanorum officiorum remuneratorem; et id genus alia, quae ignorare homini nefas est.

Necesse est 2. Deum cognitum, atque perspectum, ut par est, venerari, et colere; *ut sic vivamus*, quod egregie est dictum a Seneca epist. 10, *cum hominibus, tanquam Deus videat, sic loquamur cum Deo tamquam homines audiant*, hoc est exteriori cultu, non modo interiori simus in Deum religiosi. Cujus quidem utriusque cultus cum sit amor idem prncipium, ac unum veluti fundamentum, evidens est, hominis esse, Deum, quanto maximo potest amore, complecti. Si enim facies honesti adeo per se mirabiles excitat amores, ut illi, in quo inesse videtur, nos fa-

ciat amicos; si omnis virtus nos ad se allicit, facitque, ut eos etiam, quos nunquam vidimus, amemus, vel quod majus est, ut eam in hoste etiam diligamus; si denique tanta est vis amicitiae, ut efficiat pene unum ex duobus animis, quanto nobilior noster erit amor, quanto vividior caritas, quanto purior benevolentia in Deum honestatis, virtutis, perfectionisque fontem, et oceanum? Omnino sicuti nobilior, et sincerior, vel potius una est optima amicitia, quae nulla indigentia, nulla utilitate quaesita eum ipsum in se, et per se diligit, quem amat adeo vivido affectu, ut nunquam, ne amico quidem erepto, extinguatur, ita quoque nobilior, et purior, vel potius optima Religionis, et caritatis pars est, quae nullo commodi amore sit instituta, sed sola Summi Numinis excellentia, praestantique dignitate innitatur. Quamquam confirmatur amor et beneficio accepto, et studio perspecto, et consuetudine adjuncta. Cum enim Deum ipsum contemplor amantissimum hominum Patrem, qui plurima, ac infinita fere beneficia nobis concesserit, a quo uno omnia nobis bona proveniunt, omnia a nobis mala longius removentur; cum etiam tantum illius in homines studium perspicio, ut nostras preces, lacrimas, et vota benigno clementiae sensu praeveniat, non solum excipiat; cum tandem eum nobis semper praesto esse, nobiscum continuo versari, et fieri nobis conjunctiorem meditor, quam sit nobis ipsa anima nostra, duplicatis amoris stimulis incendi homines oportere statuo, ut Deo, ejusque amori, et beneficentiae si non pares, quod fieri nulla ratione potest, at aliquas vices memores, gratique rependamus; et quae devinctissimi, et obsequentissimi sunt animi, eorum nihil omittamus. Nostra igitur sive facta, sive dicta, sive etiam cogitata eo spectent universa, quo nobis est totius vitae nostrae cursus constitutus finis. Saepius menti occurrant illae Epicteti sententiae: ἀνανεόσθαι

ὁ περὶ Θεοῦ λόγος καθ' ἡμέραν, μᾶλλον ἢ τὰ σιτία : sermo de Deo quotidie magis renovetur, quam ipsi cibi; et συνεχέστερον νόει τὸν Θεὸν, ἢ ἀνάπνει : crebrius Deum cogitato, quam respirato. Id nobis lex dictat, jubetque, id jus naturae flagitat, id ipse a nobis exigit Deus, a quo et jus, et lex naturae, et natura hominis est. Atque haec ipsa officia adeo sunt hominibus exposita, et obvia, ut ratio ipsa hominis, nisi animi morbi, affectusque obnubilent, et corrumpant, unicuique hominum et dictet, et suadeat. Atque hinc factum est, ut religio, qui Dei est cultus optimus, idemque castissimus, atque sanctissimus, plenissimusque pietatis, apud omnes gentes invaluerit. „ Si enim terras obeas, ut est apud Plutarcum contraColotenEpic.p.m.1125.invenire possis urbes muris, literis, Regibus, domibus, opibus, numismate caren-
„ tes : . . . . . .urbem vero templis, Diisque destitu-
„ tam, quae precibus, jurejurando, oraculo non uta-
„ tur, non bonorum causa sacrificet, non mala sa-
„ cris avertere nitatur nemo unquam vidit. Sed faci-
„ lius urbem condi sine solo posse puto, quam opi-
„ nione de Diis penitus sublata civitatem coire, aut
„ constare (1).

In medium nunc se proferant, qui quidquid religionem sapit, sacrasque Deo vel res, vel Personas eousque fastidiunt, ut qui id fecerint rem illos inutilem facere in triviis, in compitis traducant. Hominem alloquor (sunt enim quidam homines non re, sed nomine). Jusque, fasque est, inquam ego, homini, dignum Domino universorum cultum tribuere,

(1) εὕροις δὲ ἂν ἐπιὼν καὶ πόλεις ἀτειχίστους, ἀγραμμάτους, ἀβασιλεύτους, ἀοίκους, ἀπείρους θεάτρων, καὶ γυμνασίων. ἀνιέρου δὲ πόλεως καὶ ἀθέου, μὴ χρωμένης εὐχαῖς, μηδὲ ὅρκοις, μηδὲ μαντείαις, μηδὲ θυσίαις ἐπ' ἀγαθοῖς, μηδὲ ἀποτροπαῖς κακῶν, οὐδείς ἐστιν, οὐδὲ ἔσαι γεγονὼς θεατής. ἀλλὰ πόλις ἄν μοι δοκεῖ μᾶλλον ἐδάφους χωρὶς, ἢ πολιτεία τῆς περὶ θεῶν δόξης ἀναιρεθείσης παντάπασι, σύστασιν λαβεῖν, ἢ λαβοῦσα τηρῆσαι.

an non? Est inquies. Cur qui ei mancipantur inutiles? Est ne Deus, ad quem humana omnia referri debent, nec ne? est enim vero. Quo ergo jure Deo jam sacra, vel tollenda, vel obliteranda esse conclamas? plurane, quam oporteat, ei sunt dicata, qui omnia complet, qui omnia tibi elargitus est, cujus sunt omnia? Quid vero Deo acceptius, quid etiam homine dignius, quam noctes, diesque Dei incumbere laudibus? Et tu homo ista fastidis, et monachos inutiles habes? Quem igitur finem tuum facis? quod tibi est hominis officium? vultum rubore suffundito, nam te in schola Christi enutrito melius aliquid scripsit Ethnicus Philosophus Epictetus. Audi, obsecro, teque ad mentem reducito. „ Si Luscinia essem, in-
„ quit ille, lusciniae officio fungerer, si olor, olo-
„ ris. Nunc cum rationis particeps sim, Deus mihi ce-
„ lebrandus est. Hoc est munus meum, hoc exequor.
„ Neque stationem hanc deseram, quoad licuerit, et
„ vos ad eamdem hanc cantilenam exhortor. „

Εἰ γοῦν ἀηδὼν ἤμην, ἐποίουν τὰ τῆς ἀηδόνος. εἰ κύκνος, τὰ τοῦ κύκνου. νῦν καὶ λογικός εἰμι. ὑμνεῖν με δεῖ τὸν Θεόν. τοῦτό μου τὸ ἔργον ἐστιν. ποιῶ αὐτο. οὐδ' ἐγκαταλείψω τὴν τάξιν ταύτην, ἐφόσον ἂν δίδοται καὶ ὑμᾶς ἐπὶ τὴν αὐτὴν ταύτην ᾠδὴν παρακαλῶ.

LIBER QUARTUS

DEUS EST REMUNERATOR.

Quum ea, quae sparsim a me dicta hactenus fuere, in summam colligo, divinam futurae vitae remunerationem inde subduco. Sic enim habeo Deus summa illa mens, ac perfectissima natura, qui Mundum et condidit, et gubernat, tali providentiae circulo immortales hominum animos conclusit ut exacto hujus mortalis vitae curriculo ad eum ipsum, a quo ori-

ginem primam acceperunt, regrederentur. Mundum, hanc communem civitatem vix ingressis legem naturae, duce, et auspice ratione, dictat, quam in se quisque; ne qua praetenderetur ignorantia, intus legat; eaque lege divinis roborata subsidiis, quae liberam ceteroquin obstringit hominum voluntatem, planissimam, ac tutissimam sternit viam ad illius felicitatis consecutionem, ad quam homines proprio naturae pondere quasi ad suum centrum feruntur, in quo et ratio sciendi cupiditatem explens, et voluntas desideriorum satietatem adepta omnino quiescunt: tum, quod flexibiles, ac devios animos viderat, instrumenta, et subsidia cujusque generis, ne de via inviti decedant, parat optimus Pater, arbitrium hominis totum numine suo moderatus rationem regula veri, libertatem ratione regit, conscientiae quoque tranquillitate, jucunditateque, atqne spe ad virtutem, qua perficiantur, allicit, morsibus vero, mo rore, atque metu ad officia revocat. Ipse interim, qui ubique est Deus, eosdem qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate Religionem colat, intuetur, piorumque, et impiorum rationem habet. Quae posteaquam non gratis, non ad arbitrium nobis sumpsimus, sed pluribus, quae philosophia suppeditat, rationum momentis evicimus, atque firmavimus, ea mihi videntur non minus firmam praebere argumentionem, qua ingenuus quisque philosophus de plano inferat, Deum futurum humani officii remuneratorem, obsequii quidem in praemio, inobedientiae autem in poena: modo sit Deus legislator et sapiens, et justus. Etenim quid tandem referret, legem humanis animis indidisse sanctissimam, et immutabilem, qua honesta in virtute, in vitiis turpia essent posita; hominesque per legem naturalem, quasi per manum ducere ad virtutem, quae felicitatem consequeretur, si divinae legislationis systema aut nullam post hanc lucem nobis ferret felicitatem, aut

eamdem omnibus ferret, sive virtutis, sive vitii cultores fieri maluerint? quid inquam eam referret legem condidisse, si quae legis ipsius observantiam juvare possent, praemia, et supplicia nulla hominibus proposita fuissent? Aut quae haec esset Legislatoris Sapientia? omnino optimum Legislationis systema non solum, quid sit vel faciendum, vel fugiendum, habet praescriptum, sed etiam obedientiae praemia, inobedientiae poenas ostendit esse paratas, ne cui scelesto liceat Legis datoris finem impune fallere. Hoc adeo verum est, ut de pluribus ipsis humanae legislationis συστήμασι ne unum quidem reperias, quod hanc, quae ad legis sanctionem pertinet, necessariam partem non sit persequutum. Cum enim summa aliqua potestas, aut certe aliqua potestas major legem aliquam constituit, non fungitur solo monitoris, aut hortatoris amici officio, qui et bonum ostendat obsequii, et malum ipsum inobedientiae. Quod si esset, cum animus ipse, cui utrumque illud et bonum conservati officii, et malum violati appareat, esset sui ipsius legislator, tum quivis amicorum esset Legislator amici, modo illi et bonum, et malum proponeret. Quo ergo munere fungitur is, qui pro jure suo, pro majore potestate legem aliis imponit? Res ipsa pro se loquitur, in ea re sese et judicem aequum, et remuneratorem justum exhibet, qui pretium apud se esse ostendat et obsequii, et inobedientiae: obsequii in praemio, inobedientiae in poena. At enim inquies, virtus sui pretium est, malitia sui supplicium. Quid opus est, amabo te, de vocibus contendere? Vis testimonium bonae conscientiae dicere praemium, malae vero testimonium torquens vocare supplicium? non repugno: per me tibi licet novam cudere nominum potestatem.. At a te quaeram, a quo demum illud et praemium, et supplicium oriatur? Certe non ab ipso Legislatore, sed ab eo, cui dicta sit lex, ab ipso-

met animo. Atqui nemo non videt, mercedem operae ab eo esse solvendam, cui opera dicatur: nemo non videt, ipsum legis datorem debere auctorem fieri solum, aut certe praecipuum mercedis; debere honorem obsequii praemio addito, injuriam offensae supplicio injuncto, pro merito compensare. Est ergo opus, ut praeter voluptatem rectae conscientiae, praeter angorem conscientiae malae addatur a Deo et boni meriti praemium, et mali meriti supplicium. Quid vero quod nec virtutis pretium, nec malitiae supplicium, utrumque a conscientia latum satis fieri possit congruum, et dignum, quod legis naturalis Sanctionis partes expleat. Ut ego non inficier, saepissime verum illud esse, quod eleganter eloquentiae romanae pater asseverabat (Cic. pro Roscio Amerino c. 24.) cum scriberet, „Nolite putare, quemadmodum in fabulis, at„ que in scena saepenumero videtis, eos, qui aliquid „ impie, scelerateque commiserint, agitari, et per„ terreri furiarum taedis ardentibus. Sua quemque „ fraus, et suus terror maxime vexat: suum quem„ que scelus agitat, amentiaque afficit: suae ma„ lae cogitationes, conscientiaeque animi terrent. „ Haec sunt impiis assiduae, domesticaeque furiae „ ut ego, inquam, non inficier, morsibus conscientiae saepe malos, et improbos agitari; tamen ea punitio non est satis congrua, quae neque communis est omnibus sceleratis, quorum plurimi, cum jam callum consuetudine peccandi obduxere animo, adeo non dolent, ut laetentur potius, cum male fecerint: quod est a spiritu divino testatum. Quo etiam tempore contra officia a lege naturali praescripta affectuum perduellio viget, ideoque quo maxime tempore vis conscientiae valentior esse oporteret, tum vero aut languet quodammodo, aut omnino contemnitur, quare nisi qua major adsit, ac fortior alia tumultuantium cupiditatum licentiam fraenandi ratio, non raro continget, quanto gravius est malum, tanto inef-

ficaciorem evadere medicinam; quod de natura rerum omnium conservatrice, quae cuivis morbo medicinam optimam paret, dicere nefas est. Dicendum itaque erit, non conscientiae stimulos, sed illud potius, quod conscientiae metus indicit, futurum supplicium legis naturalis sanctionem efficere. Re quidem ipsa deme, si vis, nam ad horam tibi concedam, e conscientiae morsibus timorem supremi vindicis, qui cum ubique et bonos intueatur, et malos, tum suo quidem tempore eos velit, imo vero debeat in judicium vocare, ut suum cuique meritum vel praemium, vel poenam tribuat justus Legis dator; an non vides, unumquemque suam voluptatem, quo demumcumque trahat, secuturum? Quid enim esset, cur quis anxius dolores, infamiam, mortem denique ipsam pro sanctis legibus oppeteret; quid, inquam, esset, cur innocens suae fieret virtutis victima, si post mortem nulla voluptas, nec ullum apud Legislatorem exercitae virtutis pretium foret? Sed jam me eo loci devenisse sentio, qui est de pretio virtutis a Stoicis adductus. Amant Zenonii isti philosophi virtutem sui pretium facere, asseverantque etiam in Phalaridis tauro beatum esse sapientem: atqui illius equidem recordor Dionysii Heracleotae, qui cum a Zenone, ut habet Tullius de fin. v. c. 31. fortis esse didicisset, a dolore deductus est, cumque ex renibus, aut oculi lippitudine, ut Laertius refert VII. f. 166., laboraret, ipso in ejulatu clamitabat falsa esse illa, quae antea de dolore sensisset. Et vero est cur doleas pulcherrimam quoque Cebetis tabulam isto errore quodammodo decolorari. At erat venia danda porticensi philosopho, qui disciplinae περίβολον (septum) ingressos, et ad virtutes introductos Beatitudinis corona donatos aliter facere vix posset. Negabo igitur Cebeti homines ad virtutes deductos posse heic plena, atque ultima donari beatitudine. Mortales enim, etsi feras illas

maximas devincat, ignorantiam, errorem, tum etiam avaritiam, incontinentiam, et reliquam pravitatem; mereanturque a Beatitudine corona donari, ut qui maximis certaminibus victores evaserint; non inde tamen illos et omni timore vacuos, et nihil unquam in vita grave patiendi securos re ipsa efficit Stoica ista Beatitudo. Nam illas mulieres, quas feras esse ajebat Thebanus noster, metuere tamdiu debemus, quamdiu hisce corporis exuviis, quae aggravant animam, erimus induti. Quandoquidem homo adeo per se non valet affectuum suorum, qui novas semper adversus rationem omnium reginam movent rebelliones, dominus evadere, ut ab ipsis laedi denuo non possit. Cum enim illa ἐπιστήμη τοῦ μηδὲν ἄν ποτε δεινὸν παθεῖν ἐν τῷ, βίῳ *scientia nihil umquam in vita grave patiendi* non sit homini, nisi corpus exuat, plene concessa; cumque affectus iteratis tumultibus maximum interdum impetum faciant; hinc Sapiens nunquam omni metu solvitur, adeoque sua interest plurimi cavere, ne sibi aliquando fortitudo deficiat, justitia, temperantia, continentia, ceteraeque virtutis sorores: quin etiam non minima Sapientiae pars sita in hoc est, ut novis instruendis certaminibus sit Sapiens vigilantiae clypeo accinctus, ut ipsi, tamquam Coryceum antrum habenti, ubique praesidium praesto sit. Quamdiu ergo et hunc timorem, et illud, quod Sapiens ex timore concipit, vigilantiae studium cum perenni, et aequabili animi tranquillitate, quam secum affert Beatitudo, non componant, atque concilient Stoici (quod perinde esset, ac luce conjungere tenebras), virtus non satis congruum erit pretium, in quo legis naturalis sanctio tota sit ab justissimo, et sapientissimo Legislatore Deo collocata. Quapropter mihi videri solent non solum operam ludere, qui ejus legis, quam animis indidit naturae Dominus, sanctionem in ipso conscientiae testimonio statuunt, sed etiam quasi re-

centes Promethei talem fingere hominem, qualem Sator hominum Deus noluit condere, imo vero qualem praesens hic rerum ordo a Deo praecognitus minime patiebatur. Quem igitur ob finem a Deo conditus est homo? Sileant Aristippus, et Epicurus, Zeno quoque taceat, et Aristoteles, unusque respondeat divinus Plato: locus illustris est, ut caeteros praeteream, in Phaedone, ubi Socrates morti jam proximus de immortalibus Animis, futuro vitae statu, hominumque felicitate disserens „ Anima, ait, „ siquidem pura discesserit, nonne ad aliquid sibi simile, divinum abit, divinum, et immortale, et sapiens? quo cum pervenerit, evadit felix ab errore, dementia, timoribus, durisque amoribus, ceterisque humanis liberata malis, revera reliquum tempus vitam cum Diis agit. Sin autem polluta, impuraque decedat, utpote quae corpus semper amplexa ipsum dumtaxat coluerit, et amaverit, ejusque voluptatibus, et libidinibus quasi veneficiis quibusdam delinita fuerit . . . . sic, inquam, institutam animam putasne ipsam per se sinceram evadere? nullo modo . . . . . in Deorum vero genus nulli fas est pervenire praeter eos, qui discendi cupiditate flagrantes, et philosophati sunt, et puri penitus decesserunt. „ Quare neque in ipso homine virtutis septum ingresso, neque in ulla re alia virtutis experte constituta est hominis felicitas, et, ut canit Ovid. „ dicique beatus .... Ante obitum nemo, supremaque funera debet „ metam. III. v. 136. Sed Deus ipse est Platoni summum hominis bonum, finis ultimus, et perfecta felicitas. Jam vero nisi Scriptoris illius Logica utamur (quam fortasse ex oraculo delirantium philosophorum didicerit) qui cum gravissimis Summi Pontificis Pii Sexti litteris ad Galliae Episcopos datis novissime vellet aliquod male sana mente opponere responsum, suas ingenii sui contorsiones non alio quidem pon-

dere, quam Rhetorum tropis firmatas adhibebat, ita nobis ratiocinari necessum erit, ut illud tandem colligamus, Deum, qui se hominis legislatorem fecit, in altera vita futurum humanorum officiorum remuneratorem. Nam si legem hominibus naturalem Deus tulit, profecto ut eidem parerent homines, tulit: sed impunitate sceleratis indulta, mercede bene meritis non soluta legis violationem ipse Legislator foveret, quod perinde foret, ac si legis custodiam nollet: rursus si per legis naturalis obedientiam ad virtutem nos evehit Deus, ac per virtutem rectum parat ad felicitatem iter; si felicitatem nolle non possumus, si denique neque Aristippea est hominis beatitudo, neque Zenonica, sed in cognitione, et amore Dei consistat, in quo uno et veri videndi cupiditas, et boni appetendi sitis fontem inveniant suum uberrimum et salutarem, in quo demum immortalis animus expletus quiescat; manifestissime apparet, hunc veritatis fontem, hanc summi, perfectique boni substantiam, hunc omnium ultimum finem, providentissimum hominum Creatorem, et Legislatorem Deum esse hominis cum libertatis compotis, tum officii conservatoris sui futurum praemium, et beatissimam coronam. Aeterna est igitur, et immutabilis legis naturalis Sanctio, uti aeterna, et immutabilis est lex ipsa naturalis, quo nempe pacto perpetua, et immortalis animi substantia est. Ex quo denique conficimus, quemadmodum non sui pretium sit virtus, sic adeo nec esse malitiam sui supplicium, ut pro justa, et sapienti legis naturalis sanctione haberi possit. Sanctio enim legis malo culpae malum aliud poenae per se non connexum cum ipsa actione peccati debet irrogare. Esset quippe ridiculus ille legislator, qui in peccantem ita statueret, *qui secus faxit, ipse facto suo punitor*; nec enim ea poena ab auctore legis vindicante factum

prodiret, sed ab ipso peccatore jumento, quod ajunt, suo importaretur.

Contra nostram hanc divinae justitiae, ac vindictae propugnationem solet ab iis dici, quibus cordi esset, sibi licere per ingenium acutum, per contorta argumenta, per malitiosam calumniam impune, et sine formidine peccare. Quae ego omnia mihi videor non valde operose refutaturus, si tria diserte, ac plane confecero: primum quae sint jura divinae clementiae: alterum, quanta sit magnitudo et injuriae, et offensae in Deum a creata natura commissae: tertium, in quo sit posita perpessio animi ad supplicia aeterna damnati. Atque primum illud de juribus divinae clementiae non multum a nobis lucis efflagitat, cum ipsum per se omnibus sit perspicuum. Meum nunc subit animum recordatio (quod idearum nexus, et relatio facit) cujusdam sententiae Ballearici illius Bartolomei Povii, proh summe Deus qualis, ac quantus Viri! cujus equidem memoriam excidere non sinam pro hominis acri judicio, praestanti doctrina, et eruditione. Cum illo enim, ut interdum soleo, congressus, quaerere me memini, cur in poenam Supremi Legislatoris inobedentiae vindicis aeternam clamores tantos attollerent nostri isti sophistae; in praemium vero itidem aeternum temporario officio redditum nullum moveant argumentum, ac ne scomma quidem ullum epicureum iaciant, ridiculi saltem gratia. Sibi lenocinantur, respondit ille, in hac quidem parte pessimi quique, ingenitum omnibus a natura felicitatis sensum, et amorem palpant; quo fit, ut, cum nollent ob idipsum a Beatitudine excludi, quam tamen Epicuraeam quandam vitam sequuti sentiant sibi sane non deberi, malint aut immortales animos perire una cum hac luce, aut poenam fore temporariam. Hinc eos saepe audies ad jura appellare divinae non aequitatis, suum cuique reddentis, sed unius non tam

clementiae, cui poena scelerato irrogata non est certe contraria; quam dissolutissimae indulgentiae, quae peccandi licentiam omnibus faciat amplissimam. Sapientissime, et ad rem quidem nostram aptissime. Nec enim Dei clementia est indolentia quaedam, et stupiditas similis illi, quam Epicurus divinae illi naturae suae umbraticae, et imaginariae dabat, quae *nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira*. Sed ea est in Deo clementia, quae cum ordine debito rebus, quae cum Sapientia Provisoris, quae cum aequitate, et justitia cohaereat. At non cohaereret, si peccanti nihil mali praeter ipsum peccatum constitueret: nam impunitas illa sceleratis indulta everteret ordinem debitum, everteret aequitatem, ac justitiam. Tantundem enim a Deo nancisceretur is, qui pessime de Deo, de se, de aliis mereretur, atque ille, qui pius, qui continens, qui justus esset. Ex quo fit, ut punitio scelerati sit irrogatio mali ad bonum Societatis, vel systematis rationalis naturae, neque quicquam oleat saevitiam vindicis pro arbitrio, ac libito furentis. Quoniam vero haec a me breviter indicata apertiora sunt, quam ut in dubium possint prudenter vocari; venio ad alterum caput, quod totum in aequitate, ac proportione justa consistit, quam poena in altera, et aeterna vita non videatur servare cum peccati culpa ad breve tempus admissi. Qua ego in parte non illud urgebo, non debere iniquam, et injustam poenam haberi in aeternum tempus duraturam pro culpa brevi, et temporaria, cum communi omnium judicio non habeatur praemium nimium, et non aequabile merito, et si meritum fuerit breve, et temporis exigui, ut sunt omnia mortalis vitae merita; praemium vero sit aeternum futurum, quale sibi boni a Deo remuneratore pollicentur. Nec ego a te quaeram, cur vindex aeternus culpae temporariae sit dicendus saevus, atrox, crudelis vindex; remunera-

tor contra aeternus meriti brevissimi non sit vocandus prodigus, profusus, nimius aestimator, ac largitor praemii. Ad eam, quo me vocabas, proportionem culpae cum supplicio venio. Supplicium, ajs, in altera vita futurum est aeternum: ajo enimvero aeternum. Quid tum postea? Ergo, ajs, infinitum: ajo enimvero infinitum. Heic quasi re conclusa inferes tu quidem: ergo majus, ergo saevius, ergo crudelius aequo supplicium. Non video sane consecutionem. Quid ita non vides? an culpa, inquies, non est finita? Non certe, si majestatem infinitam Dei, in quam committitur culpa, velis cogitare: non certe, si pervicaciam scelerati numquam culpam revocantis, nunquam resipiscentis, nunquam sese ad bonum infinitum convertentis. Quid enim mihi dices, cur supplicium gehennae sit habendum justum, si ad aliquod tempus inferatur, sit habendum vero saevum, si ad totam aeternitatem exigatur? Erit aequum supplicium temporarium, quia culpa eo tempore manet. Quid si eadem culpa aeterna fiat? profecto aeterna punitio culpae aeternae erit justa punitio. An vero culpa in peccatore pervicaci non fit aeterna? Non ille, qui semel audet infinitum bonum bono finito posthabere, ipse quantum est in se, ipse judicio suo statuit, aeternum in eo crimine haerere? Scilicet is, qui se semel in eas angustias coniicit, unde sciat, sibi non esse regressum, ex sese dicetur velle in aeternum iis haerere angustiis. Ille vero, qui sciens, et prudens, et videns in culpam incurrat gravem, unde ipse sciat, negatum sibi reditum ad bonam mentem, non dicetur velle in aeternum in culpa illa morari? Ergo infinita illa malitia peccantis, qui injuriam infert infinitae majestati, digna est infinito supplicio in infiniti boni privatione proposito. Ergo pervicacia ex se aeterna ejus scelerati, qui audet semel aleam eam jacere salutis, quam jactam nequeat ipse per sese corrigere, digna est aeterno supplicio. At enim, inquies, etsi qui

peccat, ipse sit meritus aeternum malum: tamen aeternum malum misero illatum arguit in vindicatore saevitiam, cum malum sine ullo bono inferat damnato. Quid ita vero sine ullo bono? Quaero ad quem referas tu bonum, ad eum ne, qui solo malo dignus est, qui bonum infinitum posthabeat finito; an ad eum, qui nocentem, et pervicacem ulciscitur? Si ad ipsum reum velis referre bonum, possem condere ipsummet supplicium esse unicum illi bonum ethicum, et rationale, cum illi in genere moris nihil aliud, quam supplicium conveniat. Quid enim? quid tu dices pervicaci, et scelerato in societate convenire? praemiumne aliquod? nihil sane minus, siquidem eum nocentem, et reum ponimus. An impunitatem illi debitam dices? non opinor, ne velis bono aliquo malum maximum compensare. An demum indulgentiam! At ille non vult sibi indulgeri, qui obstinate vult Deum semper offendere, qui semper averti a Deo malit. Sed jam tibi largiar, supplicium esse purum malum obstinati peccatoris; at non sine bono irrogatum. Cui demum bono, ajs? bono totius ordinis, bono totius civitatis rationalis, bono totius systematis moralis, cui praeest ipse Deus. Esset enim manca gubernatio, et vitiosa providentia provisoris Sapientissimi, si suum cuique meritum non redderet, si suum cuique locum non constitueret, si instar inertis, ac dissoluti Domini omnia susque deque ferri in familia ista maxima naturae rationalis pateretur. Quod adeo non decet Clementiam divinam, ut pro ea potius dissolutam inducat disciplinam. Audiatur iterum Plato, qui in Gorgia supplicii causas sic exponit. (1) *Con-*

(1) Προσήκει δὲ παντὶ τῷ ἐν τιμωρίᾳ ὄντι, ὑπὸ ἄλλου ὀρθῶς τιμωρουμένῳ ἢ βελτίονι γίγνεσθαι καὶ ὀνίνασθαι, ἢ παράδειγμα ἄλλοις γίγνεσθαι· ἵν᾽ ἐκεῖνοι ὁρῶντες πάσχοντα ἃ ἂν πάσχοι, φοβούμενοι βελτίους γίγνωνται. εἰσὶ δὲ οἱ μὲν ὠφελούμενοί τε, καὶ δίκην διδόντες ὑπὸ θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων. οὗτοι, οἳ ἂν ἰάσιμα ἁμαρτή-

gruit autem omni, qui in supplicio constitutus est, dum ab alio supplicium recte patitur, ut vel ipse inde melior fiat, emolumentumque capiat, vel ceteris sit exemplo, ut videntes eum pati, quae patitur, timore impulsi fiant meliores. Sunt vero qui utilitatem capiunt, poenasque Diis, et hominibus luunt, ii videlicet, qui sanabilia peccata peccarunt, quibus tamen nonnisi per dolores, et cruciatus et in hac vita, et apud inferos utilitas illa contingit. Neque enim aliter possunt ab iniquitate expiari. Qui vero extrema quaedam admiserunt, atque ob hujusmodi peccata insanabiles facti sunt, ab his exempla aliis fiunt. Atque hi quidem utilitatem jam ipsi nullam capiunt, utpote insanabiles: alii tamen inde proficiunt, qui hos vident ob maxima eorum peccata, horribiles, et acerbissimas pati poenas, sempiternoque tempore ad exemplum sublatos esse. Quae si cuncta non sine maxima vi demostrationis, non sine face illustriore rationis a nobis afferuntur; non est sane cur te ad illud extremum conferas, quo quasi in arcem confugis, non posse naturae ductu nos assequi, qua ratione animus impius, et reprobus in altera vita poenas det vindici Deo. Heic, ut videas a te nihil confici, possem tibi de plano concedere, me non assequi satis rationem poenae in altera vita, me non posse tibi ad liquidum ostendere animum sejunctum perpeti malum; animum corpori rursus copulatum flammas, ignes, verbera perferre. Quae si tibi concederem, quid tu tandem ex eo conficeres? an propterea non futura in altera vita supplicia? Non,

ματα ἁμαρτάνωσιν, ὅμως δὲ δι' ἀλγηδόνων, καὶ ὀδυνῶν γίγνεται αὐτοῖς ἡ ὠφέλεια, καὶ ἐνθάδε, καὶ ἐν ᾅδου. οὐδὲ γὰρ οἷόν τε ἄλλως ἀδικίας ἀπαλλάττεσθαι οἳ δ' ἂν τὰ ἔσχατα ἀδικήσωσι καὶ διὰ τὰ τοιαῦτα ἀδικήματα ἀνίατοι γένωνται, ἐκ τούτων τὰ παραδείγματα γίγνεται. καὶ οὗτοι, αὐτοὶ μὲν οὐκ ἔτι ὀνίνανται οὐδὲν, ἅτε ἀνίατοι ὄντες ἄλλοι δὲ ὀνίνανται, οἱ τούτους ὁρῶντες διὰ τὰς ἁμαρτίας τὰς μεγίστας, καὶ ὀδυνηρότατα, καὶ φοβερώτατα τὰ πάθη πάσχοντας, καὶ τὸν ἀεὶ χρόνον ἀτεχνῶς παραδείγματα ἀνηρτημένους.

opinor, recte concludas, rem non posse existere, quod modum, quo possit, non tibi cognitum habeas, ac perspectum. Dic enim verum: das a morte corporis animam manere? Dabis, opinor, nisi te materiae servum, et coecum filium profiteare. Atqui si vis ingenue loqui, tu certe non perspicue assequeris luce naturae, quo tandem modo animus a morte subsistat. Mitto sexcenta alia etiam perspicua oculis phaenomena, quae si quis dubitet, sint necne? habeatur plane delirus Pyrrhonis alumnus; si dicat, se clare assequi, qua ratione et sint, et fiant, et appareant, jubeatur a Physiologis elleborum bibere meracissimum. Sed propius ad supplicia animi in altera vita accedam, ut saltem conjectem probabili ratione, quo pacto animus puniatur. Profecto corpus ipsum per se, etiamsi miris, et teterrimis vexetur modis, nihil, opinor, patitur mali, cum ipsum corpus pati recipiendo possit, agere sentiendo per se non possit. Quo fit, ut ipse dolor, ipsa afflictatio, ipsa aerumna non sit nisi sensio, actio, notio actrix ipsius animi (mens naturalem vim habet, quam intendit ad ea, quibus movetur. Cic. in Acad. 4. c. 10.), quae illi sit repugnans. Haec sensio corpore vivo profecta est in ipsomet animo, est actio vitalis ipsius animi, qui vivendo acerbe, mori potius, quam vivere dicatur. Bene quidem habet. Dic, cur possit a corpore conjuncto male animus affici cum eo copulatus, idem animus non possit ultore, et vindice Deo male a flamma, male ab igne, male ab alio corpore affici? At enim cruciatus ille apud inferos, qui fiat a flamma, a ferro, a taedis, a facibus furialibus brevi corpus redivivum dissolvet. Quid ita vero? quia heic apud nos, inquies, dissolvit. Heic video philosophos nostros, corda illa Sadducaeorum errare, quos Christus docebat, corpora post resurrectionem futura sicut Angeli Dei. Ut dissolutio fieret, opus erat status corporeus ge-

nerationis, et corruptionis, fermentationis, accretionis, diminutionis, qui certe apud vivos viget, apud inferos nullus erit. Quo fiet, ut agitatio corporis ab igne fiat sine illo effectu nobis cognito separationis partium agitatarum. Quae omnia quid in se habent contradictionis? cur non possint luce naturae cognosci possibilia a Deo vindice, et ultore? Utinam qui ita obstinate pugnant contra Dei futura supplicia, non ipsi aliquando fiant illius numinis irati victima.

De corporum humanorum παλιγγενεσίᾳ
sive
De pristina reparatione, ac mortuorum resurrectione.

Bonnetus (1), qui rerum, quas sciri nefas, magnus divinator fieri tantopere delectatur, conatus est in suo illo tractatu de statu et praeterito, et futuro corporum nunc viventium in lucem litterarum publicam reducere demortuam jam Chaldaeorum de aetherei cujusdam animae rationalis corporis εἴδωλα

[1] Librum quoque emisit Bonnetus de Animae ſacultatibus [Essai analytique sur les facultès de l'ame], qui spectandos exhibet miros fibrarum motus ingenio suo plexarum. Praeclarum opus. At interest plurimi animadvertere, heic illum adeo fibrarum joco tribuere, ut demat animae non minimam agendi facultatem; nec percisse quidem facultatibus, et qua velimus et qua abstrahamus, universalesque ideas eliciamus, quae potissimum animae vires de fibrarum vinculis se vindicare ipsae per se quodammodo gestiunt: tum vero illum ejusmodi fibras tamquam rem certissimam ponere, quas tamen nullas in cerebro esse testatur vir claris. Joann. Maria de Turre, qui totam cerebri ſubstantiam rimatus est suis illis excellentissimis microscopiis, quae objecti diametrum 2560. vicibus augerent. Qua de re videsis illius opellam inscriptam: *Nuove osservazioni microſcopiche*. *Napoli* 1787.

sententiam, quo cum illi crederent mentem quasi cum vehiculo ὀχήματι semper versari, et una cum mente ad superiora redire. Quod equidem finxisse olim Magos nihil miror, sed valde admiror, voluisse Bonnetum, hanc Sapientum opinionem, quam eamdem mutato nomine *germinis* proponebat, simul stare posse cum catholico de resurrectione carnis dogmate. Qua in re merito est censoria virga sugillatus ab illo Sapientissimo Praeceptore, qui nuperrime cum omnium laude puerum Emilium a pessima sua institutione optimis suae illius Logicae praeceptis revocabat, Alfonso Muzzarellio. Nobis vero, ne actum agere videamur, id consilii est in praesenti, naturae luce ostendere si minus rationem, qua fiet corporum reviviscentia, at certe eam non esse impossibilem vindicare.

Quoniam homo, qui vivus colit officium, non est solus animus (quamquam in ea sententia Socrates apud Platonem fuisse videatur), sed est animus una cum corpore; ex remuneratione Divini Legislatoris, qua homini et officioso, et probo praemium virtutis aliquando persolvat, consequens esse dico, ut monstrante ratione, et duce ipsa natura ostendatur saltem possibilis resurrectio hominis justi, et boni, quam Auctor ipse naturae efficiat. Neque opus illud esse dico, ut resurrectio ipsa appareat possibilis secundum has leges datas naturae conditae, et usu quotidiano observatas, quae certe leges vitam semel dare possunt, semel ademptam restituere non possunt. Atque eo modo, quo ratio humana potest assequi, primum hominem non fuisse a Deo satum ex iis legibus, quas in hominum generatione obtinere quotidie videmus; eodem modo mens hominis natura sua assequi poterit, posse Deum remuneratorem e pulvere, et cinere justos homines excitare, quibus praemia merita abunde persolvat, etiamsi legibus istis quotidianis naturae nemo e mortuis excitetur.

Certe resurrectio singulorum hominum exigit, ut singula corpora in resurrectione tam sint sejuncta, tam separata, tam divisa, quam singuli sint homines et sejuncti, et separati, et divisi. Est enim aeque corpus pars propria, et οὐσιώδης (essentialis) singuli cujusque hominis, atque ipse animus. Quare ut animus unus et idem erit in vita futura, qui fuerat in vita mortali, sic corpus unum et idem erit post fata, quod fuerat ante fata. At quodnam facimus corpus singuli cujusque hominis proprium, et peculiare? Certe non omnis copia materiae, quae aliquando in singulis hominibus fuerit, pertineat ad corpus proprium singulorum: nam si omnis illa moles, vel materiae copia esset propria, et essentialis, semper in illo homine maneret, nunquam per poros, per alios meatus, manente homine illo, efflueret. Quo fieret, ut ante adolescentiam omnes homines fierent Enceladi, Typhones, Rhaeci, Porphyriones gigantes, ut rursus Ossam Olympo imponere machinarentur. Quaenam ergo materia propria erit, et sua cuique homini singulari? Heic ego possim, si velim, unam aliquam portionem dicere suam cuique propriam, quae aliquando in illo homine vivo fuerit; quaenam autem ea sit, etsi dicam, me non posse definire, tamen contendam, eam esse et a Deo definitam, et ab eodem remuneratore rursus cum illo animo copulandam: nec enim auctor naturae, qui per se in primo homine citra leges istas generationis novit illi corpus e materia certa aptare, non idem poterit illud ipsum ex illa certa materia, quam aliquando habuerit, corpus reformare. Nostri illi majores de Schola philosophi, quos recens ista philosophia de gradu suo jure, an injuria conatur plane deturbare, rem totam duabus vocibus suis parum limatis quidem, sed valde tamen secantibus praeciso nodo secuissent. Dixissent enim naturam *naturatam* (date veniam philosophis non valde Ciceronianis) non pos-

se ulla arte mortuos ab inferis excitare, idest vires istas dynamicas ab auctore naturae causis secundis impressas non eo pertingere posse, ut et resolutum corpus de integro conflare possint, et animum jam ad plures profectum rursus in corpus elicere, quod Poetae magicis artibus fieri saepe auctore Homero mentiebantur. At illi ipsi casci, ac rudes philosophi contenderent, posse naturam *naturantem* (video vos iterum vix parcere posse naso isto critico, et emuncto, sed parcite, quaeso, veritatis amore) posse *naturantem* naturam, idest ipsum Deum auctorem ipsius naturae istius conditae, corpus jam in pulverem dilapsum denuo refingere, et animum moestum, et desiderio corporis suspirantem rursus cum corpore pristino copulare. Neque vero turpe philosopho est, causam tam remotam afferre, et tanquam in re desperata Deum appellare; ubi *dignus vindice nodus inciderit*. Quam illi rem brevi interrogatione conficerent, cum dicerent luce rationis posse probari, primum primi hominis corpus sine istis legibus statis generationis fuisse a Deò formatum, cui illico animus infusus fuerit. Quid ergo minus possit ille idem auctor, ac officii remunerator Deus denuo illas particulas corporis jam resoluti compingere, et eisdem animum copulare? Qua in argumentatione nihil est sane, quod bilim, et stomachum delicatiorem aequo nostris istis novae philosophiae alumnis moveat. Quid enim reponant? Naturam non edere prodigia; et miracula maxima, quale genus esset corporis παλιγγενεσίας reviviscentia. At o boni! miracula non edit ista natura condita: suis legibus, ut cum Cartesio, et Neutonio loquar, suis viribus dynamicis, ut cum Leibnitio, et physiologis melioribus dicam, nunquam corpora dissipata, si ita vultis, denuo ipsa conflabit, nunquam animos arte magica elicitos corpori mortuo semel reducet: Auctor vero naturae, qui primum sine miraculo partes materiae in primi homi-

Digitized by Google

nis corpus compegit, cur non possit eas semel dissipatas de integro conciliare, de integro reformatas animare? Hoc loco non iis pro me pugnavero armis, quibus e physiologiae empiricae armamentario eductis satis erudite, utebatur laudatus Bartholomeus Scardua Doctissimum Nieuwentytium sequutus. Ego facile illi assentiar, esse in natura quasdam leges, quibus in corporibus, in elementis, in mixtis, in metallis mirae fiant et conjunctiones, et disjunctiones, quas ille si non ab occulta Arabum qualitate tantopere irrisa, certe a viribus magis etiam mysteriosis, atque occultis centripeta, centrifuga repetebat. Hoc illi non do, apparere in natura eas vires, quae nobis Homoeomeriam, et panspernian antiquorum renovent, dum omnes particulas corporis mortui jam dissipatas attractu concilient similes, repulsu dissocient dissimiles, conciliatas ita forment vi sua, ut corpus pristinum saltem proprium, lege quadam stata excitent a pulvere, et radio; animum vero e superis deducant, ab inferis adducant ad consociationem corporis jam refecti, et reconcinati. Ad populum phalerae centripetae, et centrifugae. Ego eo reddeo: naturae luce uti investigari potest, princeps corpus hominis sine tralatitiis istis legibus Deum produxisse; sic posse vi sua distracti corporis membra reconciliare, reconciliatis animum refundere. Quid vero fiet de Anthropophago? quid de corpuscolo proprio hominis devorati. Non is ego sum, qui ex infinitis propemodum modis eum ausim definire, quo Deus omnipotens mortuos ad extremum judicium adducendos in vitam revocabit. Equidem a S Augustino (1) edoctus alias ab aliis rationes proferri com-

(1) S. Auguſt. de Gen. ad litter. lib.1. c. 20. et 21. Libri Geneseos multipliciter, quantum potui enucleavi, protulique sententias .... non unum aliquid temere affirmans cum praejudicio alterius expositionis fortasse melioris, ut pro suo modulo eligat quisque, quod capere possit ..... di-

mendo, ut religionis nostrae hostibus pateat, non deesse christiano philosopho cujusque generis arma, quibus *obsequium, quod fidei praestamus, rationabile* esse defendat. At modum in rebus requiro. Immo ipsam Bonneti divinationem, nisi catholicum dogma invaderet, sed animam e corpore egressam ab illo quoque germine egredi ille pateretur, minime respuerem. Nam ex doctrina satis probata physiologis de corpusculis involutis, quae doctrina cum castigata germinis sententia cohaeret, rem totam in lumine bono collocari posse contendo. Nimirum ex doctrina satis probata physiologis de corpusculis involutis in semine, tota res in lumine bono collocabitur. Dico suum cuique homini corpus proprium, quo οὐσιωδῶς (essentialiter) differt alius ab alio homine individuo, esse illud corpusculum, quod essent gestaturi, si quando in dias hominis auras venirent, egregiis versibus, nec inficetis certe argumentis probabat romanae fidicen Purpurae Polignacius. *Deus*, canebat lib. VII. ver. millesimo secundo:

. . . . cuncta in semine primo
Semina conclusit, gemini compendia sexus;
Custodesque mares pretiosi muneris unos
Instituit, sobolem matura aetate daturos.
Sic hominum genus omne hominis tenuissima primi
Pars fuit. . . .

Mitto cetera, quae ibi pluribus persequitur purpuratus Vates Apolline digna. Cujus hominis sententia Musaeo melle condita vel est illa ipsa Arabum philosophorum doctrina *de minimo naturali*, quod suum

dici non haerere homini in reſpondendo secundum fidem, quod respondendum est hominibus, qui calumniari libris nostrae salutis affectant, ut quidquid ipsi de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris litteris non esse contrarium. Quidquid autem . . . . contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum.

cuique homini Deus, et natura parens in primo statu distribuit, nunquam alteri tribuendum; vel certe non est illa firmior, et probabilior. Nunc jam in medium Anthropophagus prodeat, jam si cui inhumano libeat populo, ea instituatur carnificina infantium male natorum, quam non sine horrore omnium Gentium Scriptor Gallicus, scilicet humanissimus, edito libello suadebat, ut macellum publicum in oppidis institueretur, ubi caro humana infantilis ad infandas gulae Europeae delicias distraheretur. Tota natio Anthropophaga carnibus pasta humanis, ea primaeva semina, ea primigenio corpuscula propria hominum voratorum, nunquam calore, nunquam vegetationis succo dissolvet, cum sint artificis manu ita compacta, ut in alvo femineo cum semine immissa possint evolvi, augeri, in lucem vitae venire; alia vero ratione nulla dissipari: quin etiam per opem maternam jam explicata, et aucta, tamen pristinam illam structuram divina manu ab initio impressam nunquam amittant, ne tum quidem, cum animus dissoluto corpore visibili a corpore illo proprio, et tenuissimo recedit. Sunt autem ejus naturae illa corpora seminalia, ut accepta per generationem paternam, non per esum, non per epulas infandas, sed tantum per conjunctionem genitalem rursus migrent in matricem femineam. Ergo vorator infantium, novus aliquis Saturnus, ut est in fabulis, saginatus humana carne, tantum in corpus suum conspicuum, et obesum convertet corpora conspicua victimarum humanarum: nulla vero ratione confundet, ac perturbabit corpora propria. Quo fiet, ut Deus possit in resurrectione suum cuique homini corpus proprium, ac separatum restituere: non ex his statis legibus vel Cartesiani motus, vel Neutonianae tractionis, non ex viribus dynamicis, ac plasticis aliorum philosophorum, sed ex ea et virtute, et oeconomia naturali, debita auctori naturae,

debita provisori justo, debita aequissimo ordinis moralis, ac rationalis remuneratori.

Quare nihil est, cur in natura videatur impossibilis corporum παλιγγενεσία sive pristina reparatio, ac mortuorum resurrectio.

De divinæ Revelationis necessitate, et veritate.

Philosopho semet intuenti, postquam et suam ipse originem eximiam, ac prope divinam detexerit, et supernum utique, quo divinitus tendit, finem suum cognoverit, istud superest, ut diligenti examine investiget, quibus ipse subsidiis, et instrumentis instructus sit oporteat, ut officia erga Deum, semet, et reliquos homines, per quae ad felicitatem itur, adimpleat, sancteque, et continenter custodiat. Cujus generis examine, quod jam plerique omnes Viri acutissimi, atque doctissimi quam diligentissime susceperint, recta deducimus, ut cum rationis nostrae lumen nobis ipsis saepe deficiat, tum alterius ductum, et magisterium nobis esse necessarium apertissime perspiciamus, quod ab illo hominum Sapientissimo Legislatore, et Provisore amantissimo petere necessario debemus, ne iterum in humanam rationem, quam antea quasi coecutientem praetermisimus, dilabamur. Atque haec nobis erit divina Revelatio illud ipsum Dei magisterium aliquando hominibus exhibitum. Quippe cum plura ipsa per se homines latere, suo alioquin ipsorum fini consequendo quam maxime necessaria, tum vim quoque, qua id bonum, quod noverint, agant, iisdem non semper ad manum esse, res clarior est, quam ut possit in dubium prudenter revocari. Nam 1. quod hominum spectat ignorantiam, palam est, humanam rationem eousque perficere suis auspiciis Sapientes ceteroquin Viros non valuisse, ut iteratis per tot saecula tentaminibus no-

vus demum aliquis ortus sit in Graecis mortalium sapientissimus Socrates, qui morale proponeret systema numeris, ut illi quidem ajebant, omnibus absolutum. Quod tantum abest, ut sapientissimi ceteroquin philosophi, et legumdatores perfecerint, Zaleucus, Charondas, Draco, Solon, Lycurgus, Minos, Plato, Aristoteles, Cicero; ut infecerint potius doctrinam suam adeo turpibus erroribus, et crassis, ut per se quisque sentiat, gravissimum ab ipsis vulnus fuisse honestati naturali inflictum. Quid enim, ut caeteros sileam, quid, inquam, ea Platonica (1) communitate rerum omnium aut vilius, aut turpius? Quid Aristotelica Infantium carnificina (2) inhumanius, et crudelius? quid tandem horribilius Cretensium epulis a Minosse probatis? Haec si animadvertissent Jannonus, Barbeyracius, et Midletonus, nunquam, opinor, eos inter, et Moysen tam ini-

(1) *Plato* l. v. de Rep. paulo post init. ἐπὰν δὲ αἱ γυναῖκες, οἵ τε ἄνδρες, τῦ γεννᾷν ἐκβῶσι ec. hoc est: quando jam mulieres, et viri aetatem generationi aptam egressi fuerint, licere viris dicemus, cuicumque voluerint, praeterquam filiae, atque matri, et filiarum natis, matrisve majoribus commisceri . . . . . Cum vero haec omnia mandaverimus, interdicemus foetum talem si contigerit, edi, et in lucem produci. Si quid autem matrem parere coegerit, ita exponere praecipiemus, ut omni prorsus nutrimento careat.

(2) Aristoteles lib. 7. Polit. c. 16. περὶ δὲ ἀποθέσεως ϗ τροφῆς τῶν γιγνομένων, ἔςω νόμος. ec. De exponendis autem, vel tollendis partubus, lex esto, ne quid mancum, et debile alatur. Propter multitudinem autem liberorum, ne plures sint, quam expediat, si gentium instituta, et leges vetent procreata exponi; definitum esse oportet procreandorum liberorum numerum. Quod si quibus inter se copulatis, et congressis, plures liberi, quam definitum sit, nascantur, priusquam sensus, et vita inseratur, abortus est foetui inferendus. In istas philosophicas crudelitates calamum acuit Theodoretus. Vide sermonem illius nonum. τίς Ἔχετος ἢ φάλαρις τοιαῦτα νενομοθέτηκε, quis Echetus, vel Phalaris tales leges tulit? quis tam cruentas cedes ut legitimas patravit unquam? ec.

quam iniissent comparationem. Qua de re Consule virum diligentiae, et veritatis amicum Goguetum Orig. des loix ec. to. 2.lib.1. c.2., tom.3. lib.1. art.1. Quid ille Cato? quid? adulterii antidotum dabat fornicationem. Crisippus his etiam graviora crimina rem esse innocentem defendebat. Duodecim Graeciae tabulae, unde jus civile derivarunt romani, et creditori jus fecere in vitam debitoris, et Patri in ternam filii venditionem, et marito uxorem occidere permisere, quae aut vinum bibisset, aut clavem adulterinam sibi comparasset. Non est otium singulas perlustrandi philosophorum Scholas (veteres dico, nam sunt philosophi nomine indigni Sophistae hujus aetatis increduli), eorumque placita Censoris more notandi, ut ex ipsis una collectis evincam, eos omnes, Pythagoras, et Democritos Zenones, et Platones, Aristoteles, caeteros, praecipuas et officii, et dogmatis partes ignorasse in pluribus claudicasse; et quae vera noverint (noverint autem multa) falsis miscuisse, diverseque diversos protulisse non adnectentes nec causas rerum, nec consequentias, nec rationes, atque ea idcirco actos fuisse dubitationis aura, ut refellerent alii, quod alii sentiebant. Quam provinciam cum sibi susceperint SS. Ecclesiae Patres, religionisque Christianae Apologistae sapientissimi Justinus, ejusque discipulus Tatianus, Athenagoras, S. Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origenes, S. Hippolitus, Minutius felix, S. Cyprianus, Arnobius item, et Lactantius, Eusebius Cesareae Episcopus, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Augustinus, aliique; tum Claris. Baltus (*a*) ex omnibus, quasi flores, gravissima colligebat judicia, ut illorum exponeret philosophorum falsitates, moralisque doctrinae vitia. Et hi vero nativam mortalibus ignorantiam, quanto maximo poterant et studio, et inquisitione, et me-

(1) Jugement des SS. *Peres* Payenne. 1719. sur la morale de la philosophie

ditatione exuere conati fuere, et ut erant acre a natura ingenium sortiti, ita maximam, imo vero cunctam in eo operam locaverunt, ut veritatem, cui unice litare se profitebantur, invenirent. Quis autem erit omnium tam audax, ut illos philosophorum principes non dicam vincere, sed vel aequare praesumat? Hinc sua veluti sponte consequitur, expectandum non fuisse ab hominibus ignorantiae pravitate laborantibus ejusmodi moralis doctrinae systema, quod perfectam humanorum officiorum rationem persequeretur. At enim, inquies, non adeo desperatam rem facere debueras, ut Epictetum, ut Marcum Aurelium tacitus praeterires. Quid si dedita etiam opera hoc me fecisse constabit? Nempe illud ab ingenuo philosopho me impetrari posse sperabam, tot tantisque expositis exemplis ut videret, quid hominum valeant humeri, quid ferre recusent. Et tu mihi negotium facescere voles eorum adhibito exemplo, qui morales scripsere sententias longe post ortam Evangelii lucem? Cur non etiam Senecam, Plutarchum, Julianum, Maximum, Porphyrium, Jamblicum, cur non etiam recentiores Scriptores in medium protulisti? Atqui ego possem non sine gravi conjectura contendere, illos Sapientiae amatores ad lucem hanc, quae eorum poterat tenebras dispellere, oculos intendisse. Quid ita vero? Num imperantis illius philosophi erga Christi cultores studium nescis? Cum enim Christiana legio (1) bello Marcomanico precibus de coelo pluviam romanis copiis evocaret ad si-

(1) Marcus petiit, ut christiani Deo nostro supplicarent, quod cum fecissent, Deum exaudisse subito, percussisseque hostes fulmine, ac Romanos pluvia recreasse. His rebus Marcum vehementer obstupefactum edicto christianos honore affecisse, ipsam legionem κεραυνοβόλον [fulminatricem] appellasse. Xiphilinus apud Dionem. Tertull. Apolog. c. 5., et Eusebii lib. 5. Oros. lib. 7. cap. 15. apud doctissimum, et piissimum Baronium ad ann. 176. M. Aurel. 14.

tim levandam, in hostes flumina descenderent, an non Christianos honoribus, beneficiis, laudibus ille Antoninus Aurelius cumulabat? Mihi certe non persuadeo, ipsum et philosophum, hoc est sciendi amore captum, et Stoicum, qui caeteras res omnes praeter unam virtutem nihili ducendas arbitraretur, denique militibus stipatum christianis aut non potuisse, aut noluisse christianorum, qui invitis etiam, et nolentibus praedicabant, moralem doctrinam audire, aut perceptam parvipendisse, quae tantam praeceptorum sublimitatem, majestatemque, et quacum non minimam Stoica doctrina similitudinem praeseferebat. At mihi non est opus hisce pro me armis pugnare in rerum praesentia. Nam hanc ipsorum doctrinam non solum mancam et imperfectam esse deprehendo, sed eas etiam, cum theoreticas, tum maxime practicas pervertere veritates, quae sunt ἠθικῆς rite institutae fundamentum. Quandoquidem nec bene de Deo, nec bene de homine senserunt, et pessime Dei cultum instituere. In vitium vertere Marco Aurelio solent viri sapientes tum effraenem illam Faustinae conjugis licentiam, tum sacram aedem eidem, uti Divae, erectam; quippe haec Stoicae virtutis homine longe indigna. At vero neque ista omnino Stoicam virtutem laedere, et illud sectae principium de Sapiente peccatis non obnoxio (α), et exempla Cynicorum, qui sua e Stoicis principia depromserint, satis innuere videntur. Ego tamen neque Epicteti vitam, moresque, sed consonam utrorumque doctrinam ad trutinam revoco; nam ea ventilata divinae revelationis necessitas magis, magisque conspicua fiet. Seligam interim Epicteti manuale, et sententias, cujus praescripta cum Evangelica doctrina

[1] Plutarch. lib. de comm. notionibus adversus Stoicos, Α'ν εἷς σοφὸς ὁποδήποτε ec. Sapiens ubicumque digitum protenderit prudenter, omnes in orbe terrarum Sapientes juvantur. Vide Clement. Alex. lib. II. Pedagog. cap. x.

novi isti philosophi passim vel comparant, vel etiam illi adaequant. Itaque de Deo quid sentiat Epictetus, quis, aut qualis ipsi sit, nihil ille docet enucleate. Mihi igitur in re desperata suadet ars Critica ad Stoicam sectam, cui ille nomen dederat, accedere, ut quae sint ejus familiae dogmata, perquiram. Tum Stoicos video fato, idest, ut definit Seneca lib.2. c. 36. *necessitati rerum omnium, actionumque, quam nulla vis rumpat*, omnia, Deum quoque ipsum subjicere, rati supremam illam potestatem nihil esse aliud, quam communem quamdam rationem variis nominibus expressam pro diversitate rerum, quibus inest, et quarum natura utitur ad Mundi administrationem. Quare Tertullianus apol. c.22. *Zeno*, inquit, *determinat factitatorem, qui cuncta in dispositione formaverit eumdem et fatum vocari, et Deum, et animum Jovis, et necessitatem omnium rerum*. Adde Theodoretum serm. VI. ad graecos de Provid. Pulcherrima hac Dei notione hausta, jam mihi fiunt obvia, quae nimis aspera, et dura antea videbantur Epicteti dictata: nempe intelligo ipsum non alium, quam Stoicum fuisse Sapientem. Consona enim omnia scribit Zenonicae doctrinae, sive ἐγχειριδίῳ cap. 50. (1), ubi praecipit *in omni negotio haec in promptu esse habenda. Duc me, o Jupiter, atque tu fatum, quocumque a vobis sum destinatus, qui sequar impiger. Nam si nolim, improbus factus, nihilominus sequar. Qui autem necessitati bene paruit, sapiens apud nos habetur, et scit divina*: sive sententia CXXV, ubi ait: *talis natura Mundi fuit, est, eritque; nec aliter, quae fiunt, fieri possunt, quam ut nunc se habent, et hujus conversionis, mutationisque non solum homines (quos ceteroquin liberos, ut Chrysippus facit) aliae-*

(1) Ἐπὶ παντὸς πρόχειρα ἑκτέον ταῦτα. Ἄγου δέ μ', ὦ Ζεῦ, καὶ σύ γ' ἡ πεπρωμένη, ὅποι ποθ' ὑμῖν εἰμι διατεταγμένος. ὡς ἕψομαί γ' ἄοκνος. ἢν δὲ μὴ θέλω, κακὸς γενόμενος οὐδὲν ἧττον ἕψομαι. ὅς τις δ' ἀνάγκῃ συγκεχώρηκε καλῶς, σοφὸς παρ' ἡμῖν, καὶ τὰ θεῖ' ἐπίσταται.

que in terra animantes, sed et ipsa divina participant (1); sive etiam sententia CXXVII, cui idem et color, et rigor Parcae fatalis inest. At non istud vel unum radicitus et religionem, et virtutem carpit? Non unus propterea Epicteto est Deus, sed plurimi; quos ipse veneratus, alios, ut venerarentur, exhortatus est: sic enim habet Manualis cap. 28. *Libare autem* (Diis), *et sacrificare, et primitias offerre secundum ritus patrios omnibus convenit* (2). Noli vero ab isto Stoico sciscitari quid vel de officii remuneratore, vel de ultimo, idest summo hominis fine sentiat; hic enim altius sibi, quam Pythagoras initiatis, silentium indicit. Quod si Porticum repetam, hic quidem Sapientis animum in supernis circa lunam mansionibus collocat (3), ubi *nulla re egens aletur, et sustentabitur iisdem rebus, quibus astra sustentantur, et aluntur* (4), *et tunc libere vagatur, et omnia rerum naturae bona cum summa voluptate perspicit*, ita Seneca ad Polyb. c. 28. et ad Marciam c. 25. inquit, *in arcana naturae penetrat, et scrutatur coelestium causas, et in profunda terrarum permittere aciem juvat*. Dic, quaeso, Seneca, quid in tanta locorum distractione, quid fit de μύωψι luscis, aut lippis? Atque haec de Anima Sapientis; stultas autem animas circa terram eatenus prosternunt Stoici, quoad illae a Sapientibus superioribus erudiantur. (5) Ego vero Pactoli aurum totum vile ei facerem pretium, si quis mihi Stoicus revelaret, qua ratione discipulae ad magistras commeabunt tanto discrimine invicem absentes? Tandem impios statuunt luere poenas in tenebricosis locis, atque in coeni voraginibus horrendis. At istos mi-

[1] ὅτι τοιαύτη ἡ τοῦ κόσμου φύσις καὶ ἦν, καὶ ἔσται. καὶ οὐχ οἷόν τε ἄλλως γίγνεσθαι τὰ γιγνόμενα, ἢ ὡς νῦν ἔχει. καὶ ὅτι ταύτης τῆς τροπῆς, καὶ μεταβολῆς οὐ μόνον οἱ ἄνθρωποι μετειλήφασιν, καὶ τἄλλα τὰ ἐπὶ γῆς, ἀλλὰ καὶ τὰ θεῖα.

[2] σπένδειν δὲ [τοῖς θεοῖς] καὶ θύειν, καὶ ἀπάρχεσθαι κατὰ τὰ πάτρια, ἑκάστοις προσήκει.

[3] Tertull. l. *de Anima* c. 31.

[4] Cic. l. 1. *Tuscul. quaest.*

[5] Tertull. *ibid.*

seros ea quidem consolatio manet, ut simul tandem cum piis in conflagratione universitatis pereant (1). Totus autem est Epictetus, ut doceat eum, qui velit in ejus schola proficere, nihili ducere debere, nihilque commoveri iis rebus, quae in nostra potestate non sunt οὐκ ἐφ᾽ ἡμῖν, uti corpus, possessio, gloria, Magistratus, uno verbo quaecumque nostra opera non sunt; contra ea consectari, et expetere, quae sunt in nostra potestate, uti opinio, impetus, appetitio, declinatio. Non negaverim rectam heic rationem ut plurimum sequi, ingenitosque animi sensus, pluraque efferre Epaphroditi servum homine libero digniora, sed homine Stoico, qui et pietatem exuit, et arrogantiam, ut proprium Sectae insigne induit; quaeque is certe non probet, qui radicem, unde tumentes isti, ut ita dicam, venenatique fungi surgunt, vitiatam, et corruptam esse animadvertit. Namque cum illi porticenses philosophi recto stare ordinis sui talo omnia arbitrarentur, omnia secundum naturam fieri, hominem sibi plenissime sufficere opinabantur, sibique posse suis unius ingenitis viribus parare animum aequum, omnibusque virtutibus excultum, quarum possessione et beati, et ἀναμάρτητοι efficerentur; in quo se maxime prodit eorum arrogantia. Hinc Epictetus philosophi statum, et figuram esse scripsit (2), omne emolumentum, et detrimentum expectare a seipso. Quo jacto principio inferre solemne habuit, cetera omnia curare philosophum non debere, quin esse mittendas cogitationes quoque, sive propriae vitae tuendae, sive aliis prospiciendi, si quando ex earum rerum cura animi moeror, et perturbatio sustinenda foret: *satius est*, ait cap. XI., *fame emori sine moerore, ac metu, quam vivere in rerum adfluentia perturbatum: satius quoque est,*

(1) Lactant. *Divin. Inſtit.* l. VII. cap. 7.

[2] Manualis cap. 44. φιλοσόφου στάσις, καὶ χαρακτήρ. πᾶσαν ὠφέλειαν, καὶ βλάβην ἐξ ἑαυτοῦ προσδοκᾷν.

puerum malum esse, quam te calamitosum (1). Quid mirum, si animi hisce erroribus imbuti ea in se admittant crimina, ut et vitam doloribus moestam contra legem naturalem sibi eripiant, et benevolentiae officia a lege naturae praecepta in homines minime exerceant? quae cum maxima sint malae doctrinae vitia, tum illuc ego redeo, cui tandem bono, cum reliqua vitae bona, tum vita ipsa erit immolanda? Quid post fata manent homines, tot, tantasque victimas immolantes? Tacet Epictetus, at loquitur Cicero dicens, *Stoicos dimittamus, eos dico, qui ajunt, animos manere, e corpore cum excesserint, sed non semper* (lib. 1. Tuscul. Quaest.) Nimirum Zenoni Stoicorum principi cum animus ignis esse videretur, tandem conversione mundi ignibus junctis, et conflagrantibus omnes simul animi extinguantur est opus. Atque hic tot laborum, tantorumque operum, postumae etiam illius eruditionis fructus, et usus. Nolo longius progredi: siquidem ista satis superque ostendunt, Epictetum, etsi castigatius ipse, quam veteres Stoici, aliqua dicere videatur, non ea tamen scripsisse, quae et Deum, et hominem tantopere deceant, ut non sit proinde castigandus Dacierus (2), qui hujusmodi moralem doctrinam in Epicteto, et M. Aurelio laudibus eousque extollit, ut divinis Christianorum institutis quodammodo aequiparet. Profecto ab hoc laudis genere se alienum fecerit quisquis non suas illis ideas in Christi schola adquisitas commodet, sed quam habeant illa ipsa vocabula in Zenonis porticu potestatem, meminerit; quod Critices regulae inprimis statuunt. Quae cum ita sint, pessime de philosophia, et Religione mereri dicendus est Tindalus (3), qui naturalem religionem id evi-

[2] κρεῖσσον γὰρ ἐςὶ λιμῷ ἀποθανεῖν, ἄλυπον, καὶ ἄφοβον γενόμενον, ἢ ζῆν ἐν ἀφθόνοις ταρασσόμενον. κρεῖττον δὲ τὸν παῖδα κακὸν εἶναι, ἢ σὲ κακοδαίμονα.

[2] Mons. Dacier dans la Preface de la Traduction des réflexions de Marc'Antonin.

[3] Tindal's *Christianity as old as the creation*.

dentiae, quod nullius egeat, explicationis, idque perfectionis habuisse effutiit, quae inutilem hominibus efficiat divinam revelationem. Sed missum faciamus hominem, qui ea solet cavillatione delectari, ut religionem naturalem modo nobis exhibeat illud perfectionis fastigium obtinentem, quo ea fieri hominum cuilibet evidens sit impossibile, modo contra adeo exhibeat evidentem, ut admodum imperfecta esse debeat.

Unicuiqne enim, modo ad ejusmodi examen animum praejudiciis vacuum converterit, perspicua fiet divinae revelationis necessitas. Nam si qui inter homines Sapientissimi omnium sunt habiti, et mancam, et falsam officiorum humanorum rationem, legemque tulerint, si Dei unius vel existentiam, vel providentiam, primum religionis totius fundamentum, aut intacta oratione praetermiserint, aut, ut secta, cui erant addicti, ferabat, falsis opinionibus contaminaverint; si divinam hominum originem, si naturae humanae depravationem, et eum, qui inde oritur, recte agendi obicem, si subsidia, et quasi morbi medicinam, si spiritualis animae immortalitatem, si finem bonorum, uno verbo si praecipuos religionis fontes aut ignoraverint, aut neglexerint; denique si quae circa virtutes, aut vitia bene docuerint, quibusdam commacularint erroribus, negari certe non potest in hac humanae naturae infirmitate, ut homini necessarium, sic providentiae divini Legislatoris admodum fuisse consentaneum, ut religionem aliquam ipse patefaceret, quae misero succurreret mortalium generi, quae veritatis luce densissimas superstitionis nebulas dissiparet, quae inaudito, ac prorsus novo docendi genere non solum sese omnium captui accommodaret, sed etiam inexplicabili quadam vi, atque ἐνεργείᾳ audientium animos raperet, ac pene dixerim ad bene, beateque vivendum cogeret. Sed jam se mihi ante oculos offert altera humanae naturae pla-

ga, quae alteram postulat orationis partem. Enim vero quicumque affectuum rebellionem sustinere coguntur, (sustinent autem ferme omnes), experiuntur saepenumero, non eam esse in nobis vim congenitam, atque originariam, qua, quod volumus bonum, agamus, sed *trahit invitos nova vis, aliudque cupido, mens aliud suadet*, unde Catullus flendo canebat:

Odi, et amo: quare id faciam fortasse requiris
Nescio: sed fieri sentio, et excrucior.

Atque inde etiam esse factum arbitror, ut philosophi celeberrimi in morum corruptione curanda ne hilum quidem suis Orationibus profecerint; atque illud etiam opinor factum, ut plerique Legumdatores, Viri, ut in illa aetate, sapientissimi, Supremo alicui Numini leges acceptas referrent suas; et Mnevetes Mercurio (1), et Licurgus Apollinis oraculo, (2) et Zaleucus Minervae, (3) Jovi Minos (4), Animasporum Genio Zatraustis (5), Vestae Deae Zamolkis (6). Quemadmodum, Numa, cum Sacra Romanis dare vellet, simulavit, sibi cum Dea Aegeria nocturnos congressus esse, ejusqne monitu, et consilio cuncta facere, ut est in libro Livianae histor. 1. c. 19. Isti scilicet humanam naturam scrutati praesenserant, inde solum opem suis legibus esse petendam, unde vel ipsa revelationis simulatio quasi valeret homines in officio continere. Quamobrem hi, si minus homines a vitiis suis legibus retraherent, non raro tamen voti sui in quadam virtutis simulata specie compotes factos memoriae traditum accepimus. Nos vero cum eorum simulationem crassae Minervae auribus datam diris devovemus, tum inde id capimus emolumenti, ut nimirum ponamus in aperto, communem fuisse omni-

[1] Diod. lib. 1.
[2] Plut. t. 2. p.543.
[3] Valer. Maxim. l.1. c.2.
[4] Plato in Minoe.
[5] Diod. lib. 1.
[6] Idem ibidem.

um gentium, constantemque consensum, Supremum Numen, cujus altam a natura gerimus in animis impressionem, se nobis revelari, opemque Creaturis suis ferre et posse, et velle. Ceterum quod Legumdatores simulaverant, quod ethnici philosophi (1) cupidissime optaverant, id nobis fuisse *in plenitudine temporis*, cum maxime humani totius generis urgeret calamitas, amantissimum hominum Patrem elargitum testis est Gentium Apostolus, *multifariam*, inquiens, *multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis: novissime in diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula*: ad Hebreos 1. v. 1., et 2., et ad Titum 2. v. 11. *apparuit*, inquit, *gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et saecularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc saeculo, expectantes beatam spem, et adventum magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi*. Advenit ipsa Dei sapientia; ille ipse, per quem vivimus, movemur, et sumus, ille, qui legem humanis animis dictat, ille, quem mens, quem cor nostrum desiderat beatitudinis fontem, Deus ipse humana indutus carne inter homines conversatus apparuit, ut *sanaret contritos corde, praedicaret captivis remissionem, coecis visum, dimitteret contractos in remissionem*, (2) ut faceret omnes bonorum operum sectatores, utque puri, integri, virtutibusque ornati in illud ingrederemur felicitatis regnum, in quo pax, et tranquillitas, et gaudium fieret nobis temporariorum officiorum corona omnis corruptionis expers, et perpetuum non diuturni certaminis praemium. Laetare

[1] Socrates, et Plato in Epist. et in Alcibiade II., quem equidem Dialogum legere sine teneri animi affectione non valeo: adeo sentitur eorum et desiderium, et revelationis egestas. Omnino verissimum est, quod D. Hjeronymus de Senecà proferebat, inter Ethnicos fuisse philosophos multis Christianis sanctiores.

[2] Matth., et Lucae 4.

filia Sion, quem expectas Rex tuus advenit, Messias, quem tui praenuntiarunt Vates, nobiscum est. Iamque nota fecit nobis quaecumque audivit a Patre, et ubi testamentum suis adoptionis filiis proprio signatum sanguine reliquit, ad Patrem rediit, ut nobis pararet locum in beata illa Societate, in qua et ipse, et Pater, et Paraclitus Spiritus regnant aeterno tempore victuri. Quid enim? Num Deus tuus, o Israel, mentiri unquam potuisset? Si ergo de Juda recessit שבט Shebet (sceptrum), si recessit מחקק Mechokek (Dux, et Legislator) jam שילה Shiloh (Messias) Jacob patri tuo promissus venit. An non שבעים שבעים Shabuim Shibbim (hebdomades septuaginta) quas Daniel tuus vaticinabatur, quo demum cumque modo ea tibi tempora lubeat supputare, undecumque initium sumere, exitum jam suum habuere? an non hierosolymitanum excidium obtinuit? annon desolatio evenit? Consule, quaeso, veraciores historias, et in Jesu Nazareno quem tuus praedicabat Saulus, ea adamussim omnia, quae et Aggaeus, et Malachias, et Isaias futura praedixere, impleta reperies [1]. Quam ego quidem veritatem sic in praesenti ostendere enitar, ut ex ipsa novi testamenti, quod omnes prae manibus habent, doctrina istud evincam, tale praeseferre hujusmodi librum et religionis, et moralis systema, quod cum nulla arte, nulla hominum industria compingi potuerit, unum modo Deum poscat auctorem. Quamobrem veniam mihi, uti spero, dabunt eruditissimi quique, apud quos haec disputo, si pro temporis, quibus urgeor, angustiis, omissis

[1] Perlege librum doctrina, et eruditione praestantem = Della vana espettazione degli Ebrei, del Teol. Giambernardo de-Rossi. Parma 1773. = Nec, tibi supervacua fuerint duo item opuscula = discorso familiare del fu Angiolo Amadio Rava. Jesi 1790. Confutazione degli errori de' Giudei di Rabbi Samuello. Venezia 1770.

veteris testamenti vindiciis ad veritatem Christianae Religionis demonstrandam me convertam. Quam eo libentius mihi daturos spero, quod, hac semel demonstrata, apud omnes constet, me simul illius veritati fidem fecisse. Quippe sicuti vetus Testamentum fuerit Novi veluti umbra quaedam, et figura, ita novum de illius sanctitate, divinitateque testificatur apertissime. Quid quod magis etiam id congruit fini, quem mihi antea proponebam, cum contendebam non ullam aliam alii vel populo, vel homini a Deo publice factam revelationem a me vindicari, sed eamdem illam, quam misero generi hominum toti divinitus provisam esse dicebam. Et quamquam invictam plane suppeditet interrogationem Vaticiniorum veritas, invictumque exhibeant miracula argumentum: miraculorum enim vis, et prophetiae ostensio cum naturam superent, statim apparet, non esse nisi ab illo, qui est supra naturam, quibus idcirco Ecclesiam suam Christus ornabat, ut eam nemo posset, nisi voluntario scelere, et malitia non ferenda, non agnoscere, et probare; externa tamen haec esse videntur, et extrinsecus adscita adjumenta: nos vero intimos ipsius doctrinae thesauros proferemus, quos nemo eripere, nisi doctrinam simul ipsam deleat, possit, quosque philosophica veri penuria splendidiores efficiet. Quae enim hic traduntur vitae degendae praecepta non incerta, aut vera falsis mixta, aut ullo sine pondere, et nexu, quemadmodum philosophorum ethice fuit, sed certa omnia, et rata, atque germana sunt, quaeque in ipsa naturali lege, ipsoque justi, et honesti intimo sensu stabiliuntur practicasque cum theoreticis veritatibus mire connectunt. Quidquid enim recta nobis suggerit ratio, proponitque de principe illa natura rerum universitatem condente, ac moderante; quidquid de Deo Legisdatore, et Officii remuneratore luce naturae ostenditur, id omne et illustrat, et per-

ficit christiana religio. Quin imo (nam ingenue fatendum est) una est religio Christi, quae philosophiae dogmata ab illa sententiarum immani dissensione, et varietate, ab illa opinionum inconstantia vindicarit. Quandoquidem pro certo teneo, nisi lux Evangelica tantas, tamque spissas mentis humanae tenebras effugasset, unaque corda hominum ad virtutem inflammasset, modo et in Dei natura constituenda magis dissidentes, et in definiendo fine bonorum magis nos futuros fuisse inconstantes, et totam hominum vitam errorum fluctibus perturbandam. Est vero miseratione prosequendus Socrates, qui cum Anaxagorae librum avidissime perlegit, rerum conditarum fines assequi velle misere deperiens, spe tandem sua frustratus, ut ipse narrat, dolens a lectione abibat. De prima vero hominum origine quae portenta, quam miseranda invexere philosophi illi commenta? Quantam, Deus immortalis, illorum mentibus confusionem, quam densam caliginem non offuderat ista bonorum, ac malorum permixtio, et communitas, intestinum hoc affectuum, et rationis bellum! Quis unquam Apollo potuit poenitentiae modum, ac placationis genus definire, quod homines reconciliaret Deo delictis, criminibusque pene dixerim irato? Quis gratiam Redemptoris vel divinaverit? Atqui hoc balsamo curanda erat vis morbi. Non illam commemoro divini cultus inhonestam rationem, non infandam victimarum humanarum immolationem, non omnem denique omnium fere gentium superstitionem. De Ethnicorum philosophantium virtute loquor, quam acceptam Deo retulisse neminem, contendit Cic. 3. de Natur. Deor.; quem ipsum fatuum gloriae animal jure appelles. Tune aequum tibi animum ipse parabis, Horati? At istud certe tuum opus, novum, opinor, castigatum in annum legi sine offensa non potest, nisi ab aequis hominibus retractatum. Loquor de capitali illo, ac multiplici ultimi finis er-

rore, quo in tam varias distracti philosophi sententias (1) nec ipsi, quo ultimo referre suas actiones omnes debuissent, intellexerunt, nec alios ejusmodi officium docere potuerunt. Cum igitur sapientissimi quique aut falsa dogmata, et praecepta, aut vera falsis commixta darent, cumque omnia levi conjecturae pondere suffulta majori in dies incertitudine agerentur, nobis sane sperandum non erat, philosophiam subsequutis temporibus formam e manibus hominum meliorem habituram, atque alius conditionis, et indolis nunc esse futuram; sed (ut hodie ab istis Incredulis fieri conspicimus) eodem, si non pejori pacto nunc omnia in quaestionem vocarentur, diversi diversa proferrent, refellerentque alii, quod alii conarentnr totis ingenii nervis defendere: non secus ac usuvenire apud nos in iis quaestionibus cernimus, quae cum nihil ad consequendam beatitudinem conferant, nihil quoque sibi conciliare lucis possunt ex Evangelica doctrina, quaeque una cum saeculis, aetatibusque inveterascunt. Nulla, exempli gratia, inanior causa moveri, agitarique potest, quam quaestio Vacui, suos tamen haec ab ultimis temporibus habuit et patronos, et accusatores principes philosophorum, ducentes suum quemque opinatorum gregem. Negabat Thales, negarunt discipuli, et ad Platonem usque negatum est Vacuum; placuit subinde Democrito Vacuum, docuit Epicurus, et usque ad Atomistas fuit in natura vacuum: renatis litteris orta est iterum quaestio, Thaletis partes agentibus Cartesianis, Democriti vero Gassendistis; verbo dicam, post triginta circiter saecula adhuc sub judice lis est. Eadem profecto dubitatione, eademque inconstantia volverentur praecipuae veritates scitu maxime necessariae, neque esset, qui philosophiae praeceptis parere ad incertum vellet, modo non firmum in reli-

(1) S. Augustinus lib. 19. de Civit. Dei cap. 1.

gione divinitus tradita praesidium, non inconcussum fundamentum invenissent. Religio enim una est, quae summam quandam doctrinae complectatur, quae et veras rerum causas, et consequentias, et rationes adnectit; in quo non parum firmitatis elucescit. Atque haec prima nobis ratio est, quae christianae religionis veritatem nitide, solideque evincit. Nam si fieri nullo modo potest, ut lux e tenebris, ex errore veritas, certitudo ex dubitatione nascatur, profecto neque ex philosophica illa falsorum dogmatum colluvie, nuda, et pura Evangelii veritas proficisci; neque ex communi rerum maximarum ignoratione, earumdem certa, et definita Christi scientia gigni, neque ex levissima philosophorum doctrina assequi poterat christianae religionis auctor illud praeceptorum pondus, eamque dogmatum stabilitatem, quam cuilibet sapientum sectae audacter opponeret, totique graecae, et romanae sapientiae culmini objiceret. Est autem in hac parte vel obiter observandum novum prorsus illud, imo inauditum: nam divinus Magister discipulos mittit (1), illiteratos ceteroquin, et nullius abollae homines ad suam doctrinam palam, et apud omnes gentes disseminandam, nihil nec invidiam sapientum veritus, quos *comprehendebat in astutia*, (2) nec odium totius mundi, quem *arguebat de peccato, de justitia, et de judicio* (3). Non itaque arcanae doctrinae syllogismis, acutisque argumentis, non philosophico pulvere, non jactantium philosophorum placitis comparata est tanti Magistri sapientia; non, inquam, humana est ista doctrina, sed, ut ille saepius repetebat, plane divina.

[1] Misi eos in mundum. Misit illos praedicare regnum Dei. Praedicate super tecta. Euntes praedicate Evangelium omni creaturae in universo mundo. Joan. XVII. 18. Lucae IX. 2. Matth. X. 27. Marc. XVI. 15., et XIV. 9.

[2] I. Corint. 2. v. 19.

[3] Joan. XVI. 8.

Sed jam propius hanc ipsam doctrinam inspiciamus. Quidquid divinus Magister, quidquid sanctissimi Discipuli docent, ultimum, et summum hominis finem, ad quem nos naturae artifex fecerat, apprime respicit; huc dogmata, huc spectant moralia praecepta; tantaque est inter utrumque connexio, quanta esse deprehenditur intellectum inter, et voluntatem hominis. Quemadmodum enim humana voluntas felicitatis suae amore ad actionem movetur, ad eamque in felicitatis possessionem dirigendam vigilet intellectus oportet; ita et dogmata, et praecepta Christianae sapientiae ad eam ipsam felicitatem, utpote ad proprium finem, hominem conducunt. Jam vero cum in hominis fine exponendo mira heic prorsus, et ante id tempus inaudita reperiuntur, tum in dogmatis edocendis vera omnia, nulloque errore commixta stabiliuntur, eaque sunt dignitate praestantia, ut quamvis rationi consentanea, eidem tamen majorem partem impervia conspiciuntur; uti fuerit philosophis impervia illa moralium praeceptorum perfectio, ad quam virtutes fuerunt a Christo evectae. Infinitus essem, si omnia, quae tribus hisce assumptis propositionibus confirmandis conducerent, vellem heic congerere sacrorum librorum testimonia, imo ipsos ex integro libros rescribere deberem; ideoque aliquanto restrictius agendum erit. Inauditum sane fuit christianae societatis institutum, ut homines mundi hujus cives non heic suam habere docerentur civitatem, sed aliam per hujus vitae cursum inquirere juberentur, ut, stadium quidem in hac lucis usura obtineret, metam vero post hanc lucem, et praemium in altera, ac aeterna vita consequerentur. Tam sublimis, et novus legislativi systematis terminus, et finis, uti fuerat Dei hominis proprium, ita in mentem cadere mortalis Legisdatoris nequiverat, qui se mundi civem in primis esse profitetur. At Christus Deus,

qui *os homini sublime dedit, coelumque tueri*, ut nempe videret se non mundanum esse, sed coelestem civem, heic peregrinationis stationes, probationis tempus, certandi locum dedit, ibi patriam, ibi praemium, ibi triumphum, ubi esset aeterno tempore mansurus, benignissime destinavit (1) In quo et divinam simul originem, nativumque hominum splendorem, et finem, qui tantorum excellentiae natalium responderet, divinus Legislator ostendit: quae duo nimirum mortales jam ferme omnes latuerant. Et tamen haec adeo connexa cum ipsa hominis natura esse inveniuntur, ut mirum videri posset, qui factum fuerit, ut homines, iique philosophi in tanta eorumdem ignoratione versarentur, nisi quotidiana probaret experientia, facillima, et planissima jam docto, et experto videri, quae indoctis, vel tantum initiatis difficillima, ac ferme impossibilia solent apparere. Nemo re quidem ipsa hodie philosophus est (si quosdam exceperis mortalium omnium miserrimos, qui violenti manu, scissa philosophiae veste, ut se vidisse refert Boethius, ejus particulis et tegere student nativum pudorem, et propriae conscientiae, ceterorumque hominum objurgationes ludificari) nemo, inquam, est, qui non firmissime teneat, homines immortali animo donari ipsa Dei visione beando; nec item unus est, qui non doceat, hominis vitiatam esse naturam, quae fieri sine vitio debuit ab optimo Naturae Opifice. Porro semel definito hominis fine in futura, et meliori vita, in eumdem omnia conver-

[1] Rom. 6. v. 22 habetis fructum vestrum in sanctificationem finem vero vitam eternam. Vita autem aeterna, cujus gloriam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. 1. Cor. 2., dicitur saepe Regnum Dei, Christi, caelorum, Paradisus, sancta civitas, nova Hierusalem, domus patris; item Bravium, corona, praemium. 1. Cor. 9. Phili 3., 2. Tim. 4. Jacobi 1., 1. Petr. 5. Apoc. 2. et 3.

ti consequens erat. Siquidem finis est, quo referuntur, et cujus causa facienda sunt omnia: falso enim fine, omnia fallunt, vanaque, et inania fuisse probantur (1); et fine ignorato, omnia fiunt incerta, et Andabatarum more digladiamur. Ad finem igitur, ad quem facti natura fuimus, et summum, et extremum, et ultimum lex Christi, quam gratiae legem dicimus, non secus atque lex naturae, tota, quanta est, recta conducit. Quare cum ea in re divinus Legisdator nihil commune cum ceteris legislatoribus habuerit, omnesque sapientes longissime sit praetergressus, qui rem non solum acu, ut ajunt, tetigerit, sed etiam, quae legem naturalem vel dilucident, vel perficiant, hactenus ignota patefecerit: verendum non est, ut non dogmata quoque eidem consona tradiderit.

Nova plane, ac veluti recens inventa inducebat sane Christus dogmata, quando rerum universarum non dicam creationem, sed vanitatem ostendebat, quando Stoicam potissimum virtutem cum illa animi christiani humilitate debellabat, quando futurae, ac aeternae societatis regnum, quando universorum corporum resurrectionem, quando magnam judicii extremi diem, quando justorum gloriosissimum triumphum, impiorum horrendam confusionem non tam edocebat, quam vivis coloribus depingebat (2). Quaenam humana unquam religio aut

[1] Quid prodest homini si mundum universum lucretur; animae vero suae detrimentum patiatur? Matt. 16.

[2] Nova creatura ad Galat. VI. 15. Novus homo. Coloss. III. 9. Omnia nova. 2. Cor. V. 17. Vanitati creatura subjecta est. Rom. VIII. 20. Superba vanitatis loquentes pelliciunt in desideriis etc. 2. Petri II. 18. Induite vos humilitatem Collos. III. 12. Omnes invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. 1. Petri V. 5. Societas nostra cum Patre, et cum Filio ejus Jesu Christo, I. Joan. I. 3. Vocati estis in societatem filii ejus 1. Cor. I. 9. Jesum resusci-

causam humanae depravationis expedire, aut medicinam eidem facere vel est experta; Quaenam cum praescientia divina hominum libertatem conciliare unquam studuit? Quanta in hoc genere, bone Deus philosophorum deliramenta! quaenam tandem religio aeternam legis naturalis Sanctionem cum immortali animi natura, cum fine naturae humanae certo, et rato, cum naturali beatitudinis desiderio apprime respondentem exposuit? Nihil unquam auditum fuerat de trina unius Dei personarum distinctione; nihil de inexplicabili sceleris malitia, atque divini idcirco cujusdam Mediatoris necessitate. Quae tamen dogmata tam alte praedicantur, tam saepe heic recordantur, tam necessaria ad aeternum illud regnum esse præscribuntur, ut si quis neget, is et nihil hujus codicis vidisse, et merito ab illo regno excludi dicendus sit.

At enim, inquies, dogmata quidem recentia audio, veritatem vero non item sentio. Quid tu non sentis? dic, sodes, vis mentis tuae aciem impenetrabilia pervadere, an quae aciem tuam non excedunt, adscitis adjumentis, intueri? Non primum, opinor, quaeres, qui a philosophia brevitatem mentis edoctus eousque pertingere te non posse intelligis, ut immensam Dei naturam, qui lucem inhabitat inacessibilem, oculis videas, et contempleris tuis: alioquin ipse tu non vis, quas crassissimis nostris ocu-

tavit Deus; cujus omnes nos testes sumus. Act. II. 32. Si complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus. Rom. VI. 5. Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Nunc autem Christus resurrexit a mortuis, et in Christo omnes vivificabuntur. 1. Cor. xv. 16. 20. 21. In resurrectionem judicii Jon. v. 29. In judicium magni diei. Judae 6. resurrectionis mortuorum, et judicii aeterni. Hebraeor. VI. 2. quemadmodum statutum est hominibus semel mori post hoc autem judicium. Ibid. 9. 27. Possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo, et Angelis ejus. Matt. xxv. 34. 41.

lis natura occuluit, eas res inspicere, nec fieri gigans supra naturam postulas, qui naturam nactus es pumilionis, et nani. Ergo ob id ipsum, quod occultam Dei naturam tangunt dogmata, tibi fore impervia necessum erat; atque adeo, qui ita de illa natura loquitur, ut ipsamet natura postulabat, cum proprium exhibeat ejus veritatis caracterem, tum fidem doctrinae suae ipse per se facit, eique nihilo minus credendum est, quam illi, qui nobis sui Principis litteras proprio caractere firmatas ostenderet. At non istud, inquis, quaero, quod et ipse video, et si opus foret, pro me sponsor fieret magnus Leibnitius (1) Vis igitur eorum veritatem sentire, quae in unum collecta, et redacta in corpus, et cominus a Christo rationi admota, ipso rationis lumine fiunt conspicua? Verum ista, quamquam in Porticus, vel Accademiae spatiis te invenire posse desperes, christiano tamen philosopho unicuique prostant; imo christiano cuilibet quantumvis idiotae sunt manifesta adeo, ut vincere in hac parte Platonis, Aristotelis, Ciceronis, aliorumque philosophorum veterum scientiam stupens audires. Neque hoc, ajs, quaero. Quid igitur? Ego, inquam non sane video, cur vera ea dicas dogmata, quae nova quae insolentia praedicas. Quid enim? non machinationem potius, et fraudem nova dogmata sapiunt? Inopinatum sane argumentum, sed non minus vero philosopho indignum. Quid enim! cur non etiam, quae tantopere efferre soles, recentis physiologiae dogmata, dolosae inventionis accusas? quippe quae nova, ut jurato tibi vis credi, quae insolentia., quae antiquis omnibus inaudita fuere. An illa rationi contraria offendisti! Verum, ais, fatear non sunt contraria. Causa igitur finita est. Sed age paulisper Christi Dogmata seponamus, ut praecepta illius moralia consideremus. Haec siquidem talia sunt ut non unius, vel alterius, sed officiorum omnium

[1] Theodic. §. 27. 32. 134.

observantiam ab hominibus poscant, et unicuique ita sigillatim dictent, quid sit faciendum, quid non faciendum, ut singulis praebeant planissimam aeque, ac tutissimam manuductionem ad singulas virtutes, ad rationalis naturae perfectionem, ad totius humani generis felicitatem. Cujus generis praecipua sunt in Deum pietas, benevolentia in homines, temperantia in se, tum justitia, charitas, mansuetudo, cetera quibus perbelle contra respondent ea praecepta quibus vitia omnia caventur: quae vitia et rationalem naturam de sua excellentia, et praestantia deiiciunt, et pestilentes in humana societate morbos per mutua injuriarum vulnera ingenerant, communis cujusdam confusionis, et universae calamitatis semina, atque fomenta. Jam vero singulas cujuscumque generis virtutes, quas idem apud ethnicos nomen, non vero eamdem nominis potestatem, ac vim obtinere probavit Baltus, ad perfectionis apicem fuisse a Christo evectas non solum praeclarissimi quique christianae religionis defensores extra dubitationis aleam posuere, sed hostes etiam illius infensissimi non sunt ausi inficiari. Et vero ejusmodi virtutes adeo est Christus persequutus, ut earumdem vivum, atque spirans existeret exemplar. Quod qui dubitat, eodem ipse jure, fuerit inter homines, nec ne, dubitare potest. Quo quidem in loco non abs re erit saltem per transennam animadvertere, omne vel fraudis, vel deceptionis genus Christum per se radicitus praecidere, cum ita doli machinatoribus minitetur, ut exhibeat Deum, qui scrutatur renes, et corda, cujusque oculis et nuda, et aperta sunt omnia, illorum judicem, atque vindicem districtissimum. Et quoniam ad finem jam properat oratio; cetera missa faciam, duo vero illa praeterire de christiana morali non possum: alterum, quam belle haec legis pars cum dogmatis simul, et fine totius legislationis congruat, alterum, non sine lumine divino

heic fuisse praeteritas virtutes speciosas potius, quam solidas ab Ethnicis magis celebratas, iisque adposita contraria praecepta. Nam cum ibi praecipiantur, et animi humilitas, et injuriarum perpessio, et venia et in omnes amor, atque charitas, poenitentia item, sive cordis contritio, fides, mansuetudo, rerumque caducarum omnium, et suimetipsius contemptus: haec, et similia officia uti sunt hujus unius religionis propria, ad finemque hominis comparandum, qua idonea, qua necessaria; ita funditus destruunt tum bellicam, tum domesticam Ethnicorum virtutem, tum nimium illud patriae studium, tum denique celebritatis aucupium.

Quae tamen, ut illi quidem ajebant, virtutes, tanto apud omnes habebantur in pretio, ut inde materiam suam panegyrici sermones traherent, inde suorum poematum argumenta Musarum alumni poetae sumerent, inde institutionis etiam praecepta παιδοτρίβαι, et juventutis Magistri promerent. Quae eorum scripta, si qui (malum!) cum a pueritia, quo potissimum tempore omnia, simioli more, temere adolescentes imitantur, sine delectu, et intentiore cura retractata commendent, simul christiana, simul gentili quadam educatione velint nolint alumnos dabunt institutos. Saepissime illud Horatii præceptum, quod est in arte Poetica (v. 65.)

. . . . . honoratum si forte reponis Achillem
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer
Jura neget sibi nata, nihil non arroget armis.

Panegyricas laudes in Auctoribus classicis moderatur; quibus si qua venia pro depravata illorum, et temporum, et morum indole danda sit, nihilo tamen minus fatendum erit, haec fuisse eorum temporum sensa communia, ut et Bruti, verbi gratia, vindictam, tamquam præclarum justitiae, et virtutis facinus, commendarent, et quod majus est, eam pro rata sententia, bene agendi ediceret Tullius, qui ju-

stitiae munus esse ajebat primum, ut ne cui quis noceat, *nisi lacessitus injuria*; ut Catonis iniquam suimetipsius occisionem tamquam gloriosam mortem celebrarent; ut qui ceteros vincerent arroganti, vel confidentia, vel supercilio, qui pro patriae amore inexorabiles, et crudeles in exteros efficerentur, eos omnes inter vanissimos Heroes solerent adscribere. Cumque nec ordini, nec paci, nec societatis hominum felicitati, sed uni ambitioni studerent, vanitati et arrogantiae, quibus cum tantum abest, ut illi naturam rationis compotem perficerent, ut eam de gradu maxime deturbarent suo, se tamen eximie virtuosos et ducerent, et in vulgus jactarent. Quid contra christianae moralis auctor? An et ipse usu, et consuetudine vulgari abripi se patietur. Nihil certe minus. En bellica Christi virtus, *Beati Pacifici quoniam filii Dei vocabuntur*; *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Diligite inimicos vestros, bene precamini execrantibus vobis, orate pro iis, qui vos insectantur, ut sitis filii patris vestri, qui in coelis est, qui solem suum oriri facit bonis, et malis, et pluviam demittit justis, et injustis*. Vis domesticam, et stoicam virtutem? *audi „ Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum coelorum. Quicumque non humiliaverit se, sicut parvulus iste, non intrabit in regnum coelorum.* Lacessitis autem injuria praecipit justitia christiana, ut percussi non repercutiant, *percutienti maxillam praebe illi et alteram*, ut *maledicentibus potius benedicant, et beati qui persequutionem patiuntur propter justitiam quoniam ipsorum est regnum coelorum*. En patriae studium. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Servi subditi estote dominis, non tantum bonis, sed etiam discolis. Adolescentes subditi senioribus, adolescentulae subditae viris suis. Admone*

illos principibus , et potestatibus subiectos esse , dicto obedire. ad omne opus bonum paratos esse . Quis autem stupidus adeo est , ut heic non sentiat , quantum ab illa Ethnicorum sapientia distet doctrina Christi ? Cui si addideris et delictorum poenitentiam , et terrenarum cupiditatum vacuitatem , et spem , et fidem , et cetera christianae Ethices praescripta , sic nova invenies officiorum praecepta retroactis saeculis inaudita , ut dogmata , ut legislationis christianae finem insolitum , recentemque audiebas . At haec quidem omnia novo quodam vincuntur beneficio , atque ejusmodi beneficio , quod ut erat hominibus necessarium , ita ne sibi quidem futurum augurari possent ; Quod est autem istud tam excellens, tamque arcanum beneficium ? Gratiae divinioris donum *per lavacrum generationis , et renovationis Spiritus Sancti* , (1) quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum , ut justificati gratia ipsius , haeredes simus secundum spem vitae aeternae . Etenim unde peterent Philosophi auxilia satis justa contra perduelles affectus , ut pristinum rationis ordinem reducerent ? Mirari igitur non subest , si Socrates , si Aristoteles , si Seneca , si ceteri Moralis doctrinae Magistri e vitiis avocare ne unum quidem hominem valuerint. Hic plane erat Gratiae , hic Religionis Christianae triumphus . Quae quidem gratia etsi interior , etsi conspicua minus sit , est tamen in suis effectibus illustrissima. Constat enim apud ipsos christianae sapientiae hostes , hujus Sapientiae sectatores cum vitia paullatim exuere , tum virtutibus in dies ornari adeo , ut plurimi ad id fastigii perveniant , quo evecti jure , meritoque Heroes (ἀγαθοὶ) et habeantur, et sint. Quae demum

[1] Tit. III. 7. Cognovistis gratiam Dei . Collos. 1. Noli negligere gratiam . 1. Tim. IV. 14. Per quem accepimus gratiam Rom. 1. 5. Sufficit tibi gratia mea . 1. Cor. XII. 9. Evangelium gratiae Dei Act. XX. 24. Gratia et veritas per Christum. Joan. 1. 14. 17. Plenum gratiae , et veritatis . ibidem cc. cc.

omnia si ita sunt, si sunt in Novi Testamenti libris, qui omnium manibus teruntur, concludere licebit, illos non unius, aut alterius, non plurium philosophorum reperta, sed unius Sapientiae divinae esse monumenta: hoc est christianae Religionis Auctorem ab ipso veritatis fonte doctrinam suam hausisse, atque adeo illum ipsam veritatem, Verbum Dei, Deum ipsum fuisse. Aliorum sit adducere hujus veritatis locupletissimos testes (μάρτυρας), hujus religionis perpetuas canere victorias; hujus doctrinae incorruptos afferre custodes. Nos interim Divinitatis templum philosophiae veluti manibus extructum, ingrediemur, ut foedus religionis Naturalis cum religione divi-nitus tradita initum veneremur. Quod in eo totum esse positum sentio, ut ejus summa sit, ducem quidem, et magistram futuram esse religionem divinitus traditam; naturalem vero religionem illius ministram, et discipulam: ut illa dogmata rationi, praecepta voluntati tradat, necessariumque utrisque auxilium paret. Haec et rationum pondera, et docendi, refellendique instrumenta, et arma suppeditet: illa sternat planissimum iter, haec tutum ab hostibus reddat, ut utraque religio, quasi agmine facto, junctis viribus recta homines, qui et se, et Deum noverint ad perfectissimam illam Heroum societatem, cujus Princeps est ipse Deus Beatitudinis fons, et origo, perducat.

FINIS.

pag.	ERRATA	CORRIGE
1	e Graeciaip saentis : apophteg	e Graecia Sapientis apophthegma
14	Not. ϛητητικους	ζητητικούς
22	ξῶον	ζῶον
29	ἀρχέθυπον	ἀρχέτυπον
37	in pluribus	in pluribus operibus
38	Charandas	Charondas
39	Impulevit, Not. ξωυέσησεν περὰ δημιερμίας	impulerit, ζωυέσησεν ; παρὰ δημιεργίας
40	ptaestitum	praestitutum
41	ἐνερείας . tantam	ἐνεργείας . tantum
48	Zonae	Zonae mediae
50	taturae	naturae
57	extinigui	extingui
59	sitidnndum . finxisset . potuerit	sitibundum . finxisset . potuerint
60	honores	mores
62	bonorum morum	bonorum suorum
64	examina . τυ δέος . dicete	examine . τυδέος , dicite .
75	quiddam	quoddam
76	implicari	implicare
77	μεῖξων	μείζων
81	cum	eum
85	conformatur	conformantur
87	edit. aust.	edit. Amst.
90	demandatum	demandatam
94	infligant	infligat
95	γτῶθι	γνῶθι
97	debuisset	debuissent
99	a Deo	a Deo esse
102	devinceret .	devinciret
116	qualis , ac quantus viti	qualis , ac quanti viri
119	condere . Not. ἄλλα ὠφελιμε νοίτε , ἰάσισα	contendere . ἄλλα ὠφελεμενοί τε , ἰάσιμα .
120	ομος , οἶτ᾽ τε ἄλλοως	ομως οἷόν τε ἄλλως
134	ξεῦ , περωμένη	ζεῦ , πεπρωμένη
135	τοιχίτη ; καὶ ἦν , καὶ ἔσαι . τῶα . pflopterea ἀπάρχεθαι	τοιαύτη . καὶ ἦν , καὶ ἔσι , καὶ ἔσαι ζῶα . praeterea ἀπάρχεσθαι
136	ἀναμάρτητυι	αναμάρτητοι
137	ξῆν	ζῆν
138	ferabat .	ferebat

MAG 2010229